De oratorio genere dicendi, quo Hieronymus in epistulis usus sit.

Dissertatio inauguralis,

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

una cum sententiis controversis

die XXI mensis Decembris anni MCMV hora 10½

publice defendet

Guilelmus Harendza

Silesius.

Adversarii erunt:

R. Gottwald, cand. phil.

J. Seidel, cand. phil.

Vratislaviae

H. Fleischmann

MCMV.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Eduardus Norden.

Eduardo Norden

sacrum.

Argumentum.

A. Quid Hieronymus in epistulis de oratione exornanda iudicaverit.

B. Quas orationis exornationes in epistulis imprimis adhibuerit:

I. De figuris:

1. de figuris verborum:
   a. de alliteratione (ὁμοιόαρκτον),
   b. de similiter cadente (ὁμοιόπτωτον),
   c. de annominatione (παρονομασία),
   d. de traductione (πολύπτωτον),
   e. de iteratione (παλιλλογία);

2. de figuris sententiarum:
   a. de contentione (ἀντίθετον),
   b. de correctione (μετάνοια),
   c. de exclamatione (ἐκφώνησις),
   d. de interrogatione (ἐρώτημα),
   e. de fictione personarum (προσωποποιία),
   f. de omissione (παράλειψις).

II. De tropis:

1. de translatione (μεταφορά),
2. de similitudine (παραβολή),
3. de sententia (γνώμη).

III. De compositione et numero:

1. de compare (παρίσωσις),
2. de commutatione (χιασμός),
3. de compare et commutatione inter se implicatis,
4. de clausula.

C. Quomodo Hieronymus his exornationibus in diversis scribendi generibus usus sit.

A. Quid Hieronymus in epistulis de oratione exornanda iudicaverit.

In lingua Latina haud parvi momenti esse scriptores ecclesiasticos, etiam ad cognoscendum artis oratoriae progressum, inter omnes constat. Qua propter non mirum est, quod iam multis commentationibus de singulorum ecclesiae scriptorum genere dicendi tractatum est. Etiam Hieronymum doctissimum Christianorum Latinorum in hac re non neglegendum esse consentaneum est; et scripserunt de Hieronymi genere dicendi Paucker et Goelzer, quorum ille verborum copiam, hic imprimis constructionem tractavit[1]). Sed nemo adhuc plane demonstravit, quae Hieronymus adiumenta ad sermonem exornandum adhibuerit; pauca ad eam rem pertinentia Norden observavit[2]). Quam quaestionem copiosius tractare ego mihi proposui. Atque ut inscriptione opusculi expressum est, epistulas perquiram, quae ad proprium Hieronymi stilum cognoscendum maxime idoneae sunt[3]). Tamen facere non possum, quin in conclusione etiam alia Hieronymi opera breviter attingam.

---

[1]) C. Paucker „de latinitate b. Hieronymi, observationes ad nominum verborumque usum pertinentes" Berol. 1880. Zeitschr. f. die östr. Gymn. 31,881. Rhein. Mus. 37,556. — H. Goelzer „étude lexicogr. et gramm. de la latinité de Saint Jérôme" Paris 1884.

[2]) E. Norden „Die antike Kunstprosa" Leipzig 1898 p. 650; p. 947.

[3]) Cf. Schanz „Geschichte der römischen Litteratur" IV 1 p. 444: „Wie Ambrosius in der Predigt die litterarische Gattung gefunden, die seinem Geiste am meisten entsprach, so ist bei Hieronymus das seinem Geiste adäquateste Produkt der Brief".

Haud raro Hieronymus quae ipse de suo vel aliorum genere dicendi sentiret, in epistulis aperuit; quae auctoris iudicia in exordio ponere mihi non ineptum videtur. Iam in scholis eum adiumenta ad orationem distinguendam didicisse non mirum est, id quod ipse saepius concedit:

ep. 125, 12 (ed. Migne, curs. patrol. tom. XXII. ser. lat.): „cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii alphabetum discerem;"

ep. 48, 13 „legimus, eruditissimi viri, in scholis pariter, et Aristotelea illa vel de Gorgiae fontibus manantia simul didicimus plura esse videlicet genera dicendi: et inter cetera aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς."

Quibuscum conferendum est:

ep. 65, 11 „est figura, quae apud rhetores repetitio nominatur,"

ep. 130, 3 „rhetorum disciplina est ab avis et atavis et omni retro nobilitate, ornare quem laudes"; similia saepius.

Addo ep. 8,1 „ut in rhetoricis Cicero ait"; cf. A. Luebeck „Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit" Lipsiae 1872.

Proprietatem stili observavit in ep. 81,1 (ad Rufinum), nam praefatiunculam librorum περὶ ἀρχῶν ad se missam Rufini esse ex stilo se intellexisse dicit[1]). Stili discrepantiam observavit in ep. 120,11 „denique et duae epistulae quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intellegimus pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus".

Propter stili discrepantiam etiam negat eiusdem auctoris esse complura opera, cf. de v. ill. c. 5; c. 25; c. 58. Tamen eum in hac re cautum fuisse intellegi potest ex ep. 102,1 (ad Augustinum): „ego simpliciter fateor dignationi tuae:

---

[1]) Paulo aliter res se habet in ep. 22,35, quo loco Philonem nominat ‚Platonici sermonis imitatorem‘; cf. etiam imprimis ep. 53,7; ep. 70,3; de viris ill. (ed. Herding) c. 100, c. 117, c. 119, c. 131.

licet stilus et ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi." Quibus testimoniis allatis satis dilucide demonstratum esse puto Hieronymum sicut ceteros illius aetatis viros eruditos arte non solum grammatica, sed etiam rhetorica instructum fuisse.

Iam oritur quaestio, utrum orationem exornandam esse concesserit vel etiam postulaverit necne. Copiosum genus dicendi non apud Christianos, sed apud paganos inveniri ipse dicit:

ep. 29,1 „quodsi eloquentiam quaeris, Demosthenes legendus aut Tullius est: si sacramenta divina, nostri codices, qui de Hebraeo in Latinum non bene resonant, pervidendi"; ep. 66,9 (ad Pammachium): „simplices epistulae tuae olent prophetas, apostolos sapiunt. Non cothurnatam affectas eloquentiam nec more puerorum argutas sententiolas in clausulis struis".

Hieronymus utrum Christianorum an paganorum genus dicendi laudaret, in dubio erat. Nam et ipse elegantiam sermonis magni aestimavit, cf. ep. 22,30 „cum . . . Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias . . . Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet ipsum reversus prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus".

Quantopere his rebus inter se contrariis vexatus sit, imprimis ex somnio illo cognoscitur, quod in eadem epistula narrat; nec mihi inutile videtur diligentius inquirere, quomodo haec inter se contraria superare studuerit.

Artis rhetoricae usum ipse concedit in ep. 6,1 „oratorio more post argumenta testes vocabo"[1]); in ep. 60,5 ipse se interrogat: „excideruntne tibi praecepta rhetorum?", et in eadem epistula (c. 8): „haec praecepta sunt rhetorum, ut . .".

---

[1]) Cf. epp. 52,1; 52,4; 81,1; locos infra exscripsi (p. 13).

Aliis locis confitetur se elegantiam sermonis valde appetere, velut:

ep. 32, 1 (ad Marcellam): „duas epistulas, quas ad sororem tuam Paulam eiusque pignus Eustochium miseram, huic sermunculo annexui: ut dum illas legeris et in his aliquid doctrinae pariter ac leporis inveneris, putes tibi quoque scripta esse quae illis scripta sunt;"

ep. 97, 3 (ad Pammachium et Marcellam): „accipite et Graecam et Latinam etiam hoc anno epistulam . . ., in qua laborasse me fateor, ut verborum elegantiam pari interpretationis venustate servarem"; adde epp. 99, 1; 36, 1[1]).

Quod monachus quidam stilum librorum adv. Jovin. vituperaverat, iniquissime fert (ep. 50, 2). Adde quae Hieronymus in ep. 12, 1 dicit, ubi reprehendit Antonium monachum, quod toties rogatus nunquam rescripserit: „crede mihi, nisi stili verecundia prohiberet, tanta laesus ingererem, ut inciperes mihi rescribere vel iratus"; tamen paulo ante dixerat: „decem iam, nisi fallor, epistulas plenas tam officii quam precum misi, cum tu 'ne mu quidem facere' dignaris". Similiter in ep. 117, 12 (ad matrem et filiam in Gallia commorantes): „haec ad brevem lucubratiunculam celeri sermone dictavi, volens desiderio postulantis satisfacere et quasi ad scholasticam materiam me exercens, ... simulque ut ostenderem obtrectatoribus meis, quod et ego possim quidquid venerit in buccam dicere"; ab adversariis suis de hac epistula acriter vituperatus est; cf. ea, quae ipse tradit (contra Vigil. c. 3).

Saepius more rhetorum se excusat, quod elegantiam sermonis non satis assecutus sit:

ep. 108, 32 (epitaphium Paulae, ad Eustochium): „hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas eodem quo tu sustines dolore dictavi. Nam quotiescumque stilum figere volui et opus exarare promissum, toties

---

[1]) Cf. G. Hoberg „de sancti Hieronymi ratione interpretandi" diss. Monast., Bonnae 1886.

obriguerunt digiti,
cecidit manus,
sensus elanguit.

Unde et inculta oratio votum scribentis absque ulla elegantia et verborum lepore testatur;"

ep. 75, 1 „lugubri nuntio consternatus super sancti et venerabilis mihi dormitione Lucinii vix brevem epistulam dictare potui"; cf. ep. 99, 1. Similiter in ep. 127, 1 (epitaphium Marcellae, ad Principiam): „ut hucusque reticerem et biennium praeterirem silentio, non fuit dissimulationis, ut male existimas, sed tristitiae incredibilis, quae ita meum oppressit animum, ut melius iudicarem tacere impraesentiarum quam nihil dignum illius laudibus dicere"; paulo aliter in ep. 128, 5 (de Pacatulae educatione): „... maluique parum quam nihil omnino poscenti dare"; cf. ep. 129, 8. Aliam affert excusationem in ep. 21, 42 (ad Damasum): „non ambigo, quin inculta tibi nostrae parvitatis videatur oratio, sed saepe causatus sum expoliri non posse sermonem, nisi quem propria manus limaverit. Itaque ignosce dolentibus oculis, id est ignosce dictanti"; similia haud raro, cf. imprimis:

ep. 74,6 „ignosce, si scatens oratio cursu solito non fluat. Non enim eodem lepore dictamus quo scribimus: quia in altero saepe stilum vertimus, iterum quae legi digna sint scripturi: in altero quidquid in buccam venerit, celeri sermone convolvimus";

ep. 85, 1 (ad Paulinum): „et ut sanctae menti tuae simpliciter fatear, uno ad occidentem navigandi tempore tantae a me simul epistulae flagitantur, ut si cuncta ad singulos velim rescribere, occurrere nequeam. Unde accidit, ut omissa compositione verborum et scribentium sollicitudine dictem quidquid in buccam venerit"; cf. epp. 112, 1; 118, 1.

Aliis locis Hieronymus sedulo simpliciter se scripsisse confirmat, imprimis si de scripturis sacris disputat, „cum in ecclesiasticis rebus non quaerantur verba sed sensus" (ep. 21,42). Ex commentariis iam Norden (Zeitschr. f. wiss. Theol. 36²

N. F. I, 3) nonnullos protulit locos; quibus ex epistulis addo:

ep. 49, 4 „ecclesiastica interpretatio etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet et fugere, ut non otiosis philosophorum scholis paucisque discipulis, sed universo loquatur hominum generi“, cf. epp. 48, 20; 133, 12;

ep. 36, 14 „scio haec molesta esse lectori, sed de Hebraicis litteris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano eloquentiae ducendus est rivulus, nec aures Quintiliani flosculis et scholari declamatione mulcendae. Pedestris et cotidianae similis et nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quae

rem *e*xplicet,
sensum *e*disserat,
obscura manifestet,

non quae verborum compositione frondescat. Sint alii diserti, laudentur ut volunt, et flatis buccis spumantia verba trutinent: mihi sufficit sic loqui, ut intellegar, ut de scripturis disputans scripturarum imiter simplicitatem“;

ep. 37, 3 „innumerabilia sunt, quae in illius (i. e. Rheticii, episcopi Augustodunensis) mihi commentariis sordere visa sunt. Est quidem sermo compositus, Gallicano cothurno fluens: sed quid ad interpretem, cuius professio est non quo ipse disertus appareat, sed quo eum, qui lecturus est, sic faciat intellegere, quomodo ipse intellexit qui scripsit“; cf. ep. 140, 1.

Vestem sacerdotalem describens dicit (ep. 64, 11): „volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato“. In commentariis in Ezech. 40 Hieronymus sedulo ‘cubitus’ pro ‘cubitum’ se scribere affirmat, ut a legentibus melius intellegatur; cf. Appel „de genere neutro intereunte in lingua Latina“ diss. Erlang. 1882.

In libro, quem scripsit de viris illustribus, saepius dicit scriptores simplicitate sermonis vitae et morum simplicitatem imitari voluisse, cf. de v. ill. c. 22; c. 41; c. 76.

Pauli eremitae vitam, quam adornaverat, Paulo seni cuidam mittens haec addit verba (ep. 10, 3): „misimus

interim te tibi, id est Paulo seni Paulum seniorem, in quo propter simpliciores quosque multum in deiciendo sermone laboravimus“. In ep. 84, 6 exclamat: „non est huius temporis contra dogma perversum rhetoricum iactare sermonem“. Praeterea hos eligam locos:

ep. 52,1 „in illo opere (i. e. ep. 14) pro aetate tunc lusimus et calentibus adhuc rhetorum studiis atque doctrinis quaedam scholastico flore depinximus. Nunc iam cano capite et arata rugis fronte et ad instar boum pendentibus a mento palearibus ‘frigidus obsistit circum praecordia sanguis’“ (Verg. georg. II 484);

ep, 52,4 „ne a me quaeras
pueriles declamationes,
sententiarum flosculos,
verborum lenocinia
et per fines capitulorum singulorum acuta quaedam breviterque conclusa, quae plausus et clamores excitent audientium. Amplexetur me modo sapientia“;

ep. 81,1 „poteram et ego, qui saepissime figuratas controversias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere et tuo te more laudare. Sed absit a me, ut quod reprehendo in te, imiter“.

B. Quas orationis exornationes in epistulis imprimis adhibuerit.

I. De figuris.

1. De figuris verborum.

a. De alliteratione.

Postquam cognovimus, quid Hieronymus de oratione exornanda iudicaverit vel praeceperit, iam quaeremus, quanam ratione ipse orationem suam distinxerit; atque primum de figuris, deinde de tropis, postremo de compositione et numero agam, ita ut incipiam a figuris verborum, quae singulas vocis litteras spectant. Primum igitur paucis mihi memorandum est de ea figura, quae Graece ὁμοιόαρκτον sive παρομοίωσις, Latine a nobis alliteratio vocatur. In lingua Latina saepissime ea invenitur; et non solum a rhetoribus, sed iam ad priscam orationem ornandam tam solutam quam poeticam adhibita est; aetate posteriore apud Frontonem, Gellium, Appuleium usitatissima est. Apud Hieronymum paromoeosis litteram initialem binorum verborum amplectens sescenties invenitur; quam quia parvi momenti est, omnino praetereo. Maior vis iam inest alliterationi ad syllabas initiales binorum verborum pertinenti, velut

ep. 1,3 duos *in*terimis *in*nocentes;
ep. 16,2 *in*cessabilis *in*imicus;
ep. 18,14 labia *in*terpretamur *im*munda;
ep. 21,1 *im*manis *in*vidia;
ep. 21,13 *con*scientiam *com*probasse;
ep. 21,41 *in*iustitiam *in*tellegas;

ep. 22,28 senex *im*portunus *in*greditur;
ep. 22,35 in *com*mune *con*curritur;
ep. 24,2 *in*fantiae *in*voluta pannis;
ep. 30,3 *com*ma *con*cludit;
ep. 39,2 in *in*nocentem *in*fantiam;
ep. 40,2 te *in*tellegis *in*nocentem.
ep. 21,2 eorum *con*fabulationem atque *con*vivium;
ep. 41,2 *pro*phetiam et *pro*missionem;
ep. 79,5 *con*tubernalis et *con*discipulus;
ep. 69,6 *in*compositam et *in*visibilem materiam;
ep. 30,1 *con*firmet atque *con*cludat;
ep. 108,3 *ob*ruit et *ob*scurat;
ep. 121,2 *re*stinxit et *re*degit.

Jam non tam frequenter homoeoarcta triplicia inveniuntur, velut:

ep. 21,27 hoc *c*onvivium *c*otidie *c*elebratur;
ep. 45,2 *f*amiliaritas *f*iduciam *f*ecerat;
ep. 14,11 *in*corruptionem *in*duat et *im*mortalitatem;
ep. 121,8 vel se *in*terficiant vel *in*sidientur *in*imicis;
ep. 123,15 *d*omo *d*ivitiis *d*erelictis.

Rarissime alliteratio circuitum trinarum vocum transit, cf.

ep. 1,4 fera . . . gustatum *s*emel *s*anguinem *s*emper *s*itit;
ep. 1,10 *c*oetu in *c*irculum *c*oeunte ex*c*lamat;
ep. 21,2 *p*ublicanos et *p*eccatores ad *p*aenitentiam *p*rovocabat;
ep. 118,5 *p*ossessionum *p*retium *p*roiecit in *p*elagus.

Praeterea omittere nolo, quae leguntur in ep. 9,1 „et illae quidem, quas diximus, ferae sub frondente captantes arboris ramo fugaces capreas aut timidum cervos animal comprehendunt currentemque frustra praedam, dum hostem suum secum verabido desuper ore dilaniant.“

Paucis locis paromoeoseis variarum litterarum concurrunt vel etiam inter se implicantur; oriri possunt formae aabb abab abba:

aabb:

ep. 1,12 *c*eleriore *c*ursu *n*aturae *n*ox advenit;
ep. 2,1 *o*bsessum *o*mni *c*rimine *c*aput;

ep. 50,3 *v*irginum et *v*iduarum *c*ellulas *c*ircumire;
ep. 130,4 ut *a*viae *a*nimum *m*atrisque *m*olliret.

abab:

ep. 1,6 *r*eor *n*oxiam *r*eam *n*egare de scelere;
ep. 21,7 deus caelum *t*enet *p*almo et *t*erram *p*ugillo;
ep. 146,1 parva tibi *v*identur *t*antorum *v*irorum *t*estimonia.

abba:

ep. 7,3 *c*onfusionem *m*entis *m*eae *c*atenatum duxit;
ep. 17,2 *v*ersu *c*ogor *c*lamare *v*ulgato.

b. De similiter cadente.

Alliterationi annectimus similiter cadens, quam figuram quia minoris momenti est, breviter attingam:

ep. 61,4 non dicam catholi*corum*, sed haereti*corum*;
ep. 127,3 nullum cleri*corum* aut mona*chorum*;
ep. 52,16 procur*atores* et dispens*atores*;
ep. 22,29 oti*osae* et curi*osae*;
ep. 123,18 oti*osae* et curi*osae* atque verb*osae*;
ep. 128,3 oti*osa* atque verb*osa*;
ep. 39,1 pall*entem* ac trem*entem* faciem.

Interdum vis similiter cadentis alliteratione augetur, velut:

ep. 23,3 divitem *p*urpur*atum* et non *p*alm*atum* consulem, sed atr*atum*;

ep. 53,8 proposi*tione*
assump*tione*
*con*firma*tione*
*con*clu*sione* determinat;

ep. 108,27 iust*o* et *im*pi*o*,
bon*o* et mal*o*,
mundo ac *immundo*,
sacrificanti et non *sacrificanti*;

ep. 129,4 *l*ong*itudo* et *l*at*itudo*.

Nonnulli loci ad similitudinem annominationis prope accedunt, velut ep. 18,17 in *orationibus* et *oblationibus*.

c. De annominatione.

Annominatio, quae a Graecis παρονομασία vocabatur, non solum formam spectat sicut alliteratio et similiter cadens, sed etiam sensum respicit. Nihilo secius haud raro difficillimum est eam ab alliteratione vel similiter cadente discernere. Iam proferam exempla, quae mihi imprimis notabiles videantur esse.

1. Substantiva:

ep. 7,6 „sorores, quae *sexum* vicere cum *saeculo*."

ep. 22,8 „licet illae . . . hoc facerent *liberorum* magis desiderio quam *libidinis*."

ep. 22,32 „anus quaedam *annis pannis*que obsita"; cf. Ter. Eun. 236: „video sentum squalidum aegrum *pannis annis*que obsitum."

ep. 48,2 „*virgo* a *viro*, non vir a virgine generatur."

ep. 50,4 „quod me damnant episcopi non est *ratio*, sed *conspiratio*." Apud priores saepius: ratio — oratio, cf. Wölfflin Sitzgsber. der bayr. Akad. 1887 II, p. 197.

ep. 52,5 „in tanta morum *discordia* quae potest esse *concordia*?" Cf. ep. 66,2 „*discolores* equi, sed voluntate *concordes*."

ep. 52,5 „multas anus nutrit ecclesia, quae et *officium* praebeant et *beneficium* accipiant."

ep. 66,5 „non enim substantiae *dimunitio*, sed operarii *commutatio* est."

ep. 107,2 „post efferationem *corporis* et *cordis*"; cf. ep. 52,13.

ep. 108,15 „*usuras* tribuens *versuram* quoque saepius faciebat."

ep. 108,19 „neque *copia* neque *inopia* minuitur."

ep. 117,9 „separentur domus vestrae . . ., ne maledici homines sub uno *tectulo* vos manentes *lectulum* quoque criminentur habere communem."

ep. 118,6 „difficile, immo impossibile est . . ., ut et hic *ventrem* et ibi *mentem* impleat."

ep. 127,3 „in *urbe*, in qua *orbis* quondam populus fuit;“ ep. 127,12 „capitur *urbs*, quae totum cepit *orbem*;“ ep. 130,5 „*urbs* tua, quondam *orbis* caput.“ In lingua Latina haec annominatio saepius invenitur; cf. Wölffl. p. 193; Hoppe „Syntax und Stil des Tertullian“ Leipzig 1903 p. 169.

ep. 128,1 „ut secundum praeclari oratoris exodium *spes* in ea magis laudanda sit quam *res*.“ Similiter saepius Cicero; praeterea alii, velut Livius.

ep. 130,3 „ut . . . quod in *fructu* non teneas, mireris in *trunco*.“

2. Adiectiva et participia:

ep. 8,1 „Turpilius comicus tractans de vicissitudine litterarum: sola, inquit, res est, quae homines *absentes praesentes* facit.“ Hanc annominationem Hieronymus satis adamavit; cf. imprimis epp. 14,1; 29,1; 60,19; 61,1; 71,7; 79,7; 122,4.

ep. 22,12 „et *unus* et *nudus*.“

ep. 22,17 „plures quippe sunt, quae cum vino sint *sobriae*, ciborum largitate sunt *ebriae*.“

ep. 22,33 „quidam ex fratribus *parcior* magis quam *avarior*.“

ep. 22,40 „*facile* videbitur omne *difficile*.“

ep. 33,5 „*cito* sermone, sed non *cauto* dictaverim.“

ep. 48,13 „rhetores . . ., quorum artis est *verisimilia* magis quam *vera* dicere.“

ep. 59,5 „ut cuncta penetraret *interior* et contineret *exterior*.“

ep. 66,6 „quanto *humilior*, tanto *sublimior* est“; cf. ep. 66,3.

ep. 84,12 „mutare quippiam de Graeco non est *vertentis*, sed *evertentis*.

ep. 122,4 „te quasi parvulum atque *lactentem* et necdum *valentem* sumere solidos cibos invitat ad lac infantiae.“

ep. 133,1 „non *audacter*, ut falso putas, sed *amanter* studioseque fecisti.“

3. Verba:

ep. 5,1 „ut paene *nocuerit* proposito, quod *profuerit* caritati.“

ep. 38,4 „cingulum non auro gemmisque distinctum est, sed laneum et tota simplicitate purissimum: et quod possit magis *astringere* vestimenta quam *scindere*.“

ep. 52,7 „*disce* quod *doceas*“; similiter saepius, cf. epp. 53,7: 66,9; 102,2; 123,1; 125,18; 133,9.

ep. 53,8 „Socraticum illud impletur in nobis: hoc tantum *scio* quod *nescio*.“

ep. 54,4 „non es eius, cui *nata* es, sed cui *renata*.“

ep. 57,11 „quis enim . . . possit vel *legere* vel *intellegere?*“ cf. ep. 121 praef.; paulo aliter in ep. 48,12.

ep. 84,9 „hoc non est, inquies, *excusare* Origenem, sed *accusare* ceteros; cf. Wölffl. p. 202; Hoppe p. 169.

ep. 118,5 „illud *offer*, quod tibi nullus hostis possit *auferre*.“

ep. 122,3 „nec agimus, quod *volumus*, sed quod *nolumus*.“

ep. 123,11 „maxime si se virum putet *perdidisse*, non *praemisisse*.“

ep. 125,9 „qui omnium *fuerint* minimi, ut primi omnium *fierent*.“

4. Mixta:

ep. 28,7 „stultam habere *scientiam nescientium*.“

ep. 45,3 „continuis noctibus misericordiam domini *deprecantem* sol saepe *deprehendit*.“

ep. 52,3 „*crescente* sola sapientia *decrescunt* cetera;“ cf. ep. 108,24.

ep. 60,14 (ad Heliodorum, epitaphium Nepotiani): „*praecessit* te *successor* tuus.“

ep. 82,3 „ille perire cupit, ne *perditi pereant*.“

ep. 82,10 „*fundendo* sanguinem et *patiendo* magis quam *faciendo* contumelias Christi *fundata* est ecclesia.“

ep. 119,11 „quarum omne studium est, immo scientiae supercilium, aliena carpere et sic veterum defendere *perfidiam*, ut *perdant fidem* suam.“

Species quaedam annominationis est ea figura, quae oritur, si una eademque vox diversa significat. A Graecis ἀντανάκλασις, a Romanis ambiguum vocabatur. Hieronymum eam non respuisse exemplis confirmari potest:

ep. 1,1 „neque posse eum *verba* deficere, qui credidisset in *Verbum*."

ep. 10,3 „misimus interim *te tibi*, id est Paulo seni Paulum seniorem;" (mittit enim Paulo Concordiae habitanti vitam Pauli eremitae, quam descripserat).

ep. 14,9 „non omnes *episcopi episcopi* sunt."

ep. 22,19 „consuant *tunicas*, qui inconsutam desursum *tunicam* perdiderunt."

ep. 55,4 „nec est medicinae culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non *parcit* medicus, ut *parcat*."

ep. 107,13 „sit in *carne* sine*carne*"; cf. epp. 54,9; 84,9. Cf. ep. 130,10 „in *corpore* vivere sine *corpore*."

d. De traductione.

Ambiguum traductionis simillimum est neque ab ea semper certe discerni potest; aliis locis ambiguum et traductio inter se implicantur. Hieronymus quamquam hanc figuram saepius adhibuit, ut melius intellegeretur (cf. epp. 34,3; 55,5): tamen ea haud raro etiam ad sermonem ornandum usus est, velut:

ep. 12,1 „ut et diligentem te diligas et conservo sermonem conservus impertias."

ep. 21,1 (initium epistulae ad Damasum papam): „beatitudinis tuae interrogatio disputatio fuit: et sic quaesisse quaerendo viam est dedisse quaesitis. Sapienter quippe interroganti sapientia reputabitur."

ep. 66,5 „ et ne hoc quidem habens unde roget, magis rogat, dum rogare non potest."

ep. 81,1 „sed quid possumus facere, si unusquisque iuste putat se facere, quod facit, et videtur sibi remordere potius quam mordere?"

ep. 82,5 „laedunt libere alii, quos laedere laesus ipse non audet."

ep. 129,1 „quaeris, Dardane, Christianorum nobilissime et nobilium Christianissime."

Praeterea addo:

ep. 75,1 „flos noster mortis interitus; ideoque et mortuus est, ut *mors* illius *morte* moreretur."

ep. 133,1 „hoc est enim *hominem* ex *homine* tollere et in homine constitutum esse sine corpore."

e. De iteratione.

Si una eademque forma vocis eiusdem repetitur, figura παλιλλογίας vel iterationis oritur. Primum exempla eius iterationis generis proferam, quod geminatio vel conduplicatio nominari solet.

ep. 14,3 „veniet, veniet postea dies, quo victor revertaris in patriam;" cf. epp. 14,11; 45,1; 117,10.

ep. 58,11 „ad te ipsum veniam symmysten, sodalem meum et amicum, amicum, inquam, meum antequam notum."

ep. 58,11 „accingere, quaeso te, accingere."

ep. 60,2 „ille ille te vicit, ille te iugulavit."

ep. 117,1 „et ego: iam iam, inquam, quod vis faciam."

Multo saepius singulae enuntiationes vel singula enuntiationis membra ab eadem voce incipiunt, quod genus iterationis ab auctore ad Herenn. IV 13 repetitio vocata est, Graece ἀναφορά nominatur:

ep. 21,11 „quem nunc inimicum hominem, nunc iudicem iniquitatis, nunc draconem, nunc Satan, nunc malleum, nunc perdicem, nunc Belial, nunc rugientem leonem, nunc Leviathan, nunc Thaninim, nunc Behemot et multis aliis vocabulis scriptura cognominat."

ep. 78,42 „discit a lege, quae spiritualiter offerre debeat in ecclesia: primum quid per singulos dies, deinde quid in sabbato, quid in kalendis, quid in pascha, quid in pentecoste, quid in neomenia mensis septimi, quid in ieiunio eiusdem mensis die decimo: quid in scenopegia, quando figuntur tabernacula."

ep. 125,9 „sed de ludo monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conversationis suae multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent, quos nec esuries aliquando nec saturitas superavit, qui paupertate laetantur, quorum habitus sermo vultus incessus doctrina virtutum est, qui nesciunt. . . .“

Praeterea cf.: in epp. 23,4; 69,9; 108,6; 118,4 ‘non’ quinquies iteratur;

in ep. 121,10 ‘et’ quinquies;
in ep. 120,4 ‘et’ sexies;
in ep. 121,9 ‘nec’ septies;
in ep. 22,39 ‘neque’ undecies;
in ep. 146,1 ‘sive’ sexies;
in ep. 118,4 ‘si’ quinquies;
in ep. 60,12 ‘si’ sexies;
in ep. 76,3 ‘ut’ septies;
in ep. 71,1 ‘ne’ septies;
in ep. 12,1 ‘dum’ quinquies;
in ep. 66,13 ‘ubi’ sexies;
in ep. 60,19 ‘quando’ quinquies;
in ep. 120,11 ‘in’ quinquies;
in ep. 14,11 ‘hic’ quinquies.

Multo rarius substantiva et verba iterantur; eminent inter ceteros locos hi:

ep. 82,2 „volumus et nos pacem; et non solum volumus, sed et rogamus: sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem in qua non sit bellum involutum; pacem quae non ut adversarios subiciat, sed ut amicos iungat;“

ep. 84,9 „amo carnem castam virginem ieiunantem; amo carnis non opera, sed substantiam; amo carnem, quae iudicandam se esse novit; amo illam, quae pro Christo in martyrio caeditur laniatur exuritur.“

Praeterea imprimis lege ep. 64,7.

Saepius vox extrema singulorum enuntiati membrorum iteratur, quae figura Latine conversio, Graece ἐπιφορά vel ἀντιστροφή nominatur; cf. ep. 120,9 „si autem et pater

consolator et filius consolator et spiritus sanctus consolator . . . .“

Species iterationis est, cum verba tantum sensu aequalia ad orationem amplificandam iterantur, quod apud Hieronymum satis saepe invenimus, velut:

ep. 14,5 „neget . . .; neget . . .; non fateatur . . . .“

ep. 14,11 „cerne . . .; cerne . . .; videte . . .;“ cf. ep. 2,1.

ep. 15,2 „non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum“; cf. epp. 69,9; 79,10; 82,3; 82,4; 121,8.

ep. 22,14 „eadem domo, uno cubiculo, saepe uno teneantur et lectulo; cf. ep. 3,5 „cum . . . eodem cibo, pari frueremur hospitio.“

2. De figuris sententiarum.

a. De contentione.

Postquam demonstravi, quas verborum figuras Hieronymus potissimum adhibuerit, ad sententiarum figuras me vertam et initium capiam a contentione, quae Graece ἀντίθετον vel ἀντίθεσις appellatur. Rhetorum antiquorum alii eam figuris verborum, alii figuris sententiarum attribuebant; compluraque contentionis genera discernebantur. Nonnulla exempla proferam:

ep. 3,1 „audio te . . . caelestem in terris circumire familiam.“

ep. 14,1 „affatim dives est, qui cum Christo pauper est;“ cf. ep. 130,16 „vir ditissimae paupertatis.“

ep. 14,9 „minimum discipulum Jesus amat plurimum.“

ep. 55,1 „brevis epistula longas explanare non valet quaestiones et in arctum multa concludens stringere verbis, quod sensibus dilatatum est.“

ep. 123,1 „in vetere via novam semitam quaerimus et in antiqua detritaque materia rudem artis excogitamus elegantiam.“

Cf. epp. 2,1; 16,1; 24,5; 60,1; 77,1; 107,10; 133,4 etc.

b. De correctione.

Usitatissima est figura correctionis vel μετανοίας, quam in *una* epistula (ep. 112) decies adhibuit. Incipere solet a vocibus 'immo', vel rarius 'ut verius loquar', vel simili modo. Ego tantum eligo exempla pretii maioris:

ep. 3,4 „Bonosus tuus, immo ut verius dicam, noster."

ep. 3,4 „solus ibi, immo iam Christo comitante non solus, videt gloriam dei."

ep. 52,7 „divinas scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur."

ep. 55,4 „rem novam loquor, immo non novam, sed veterem, quae veteris testamenti auctoritate firmatur."

ep. 60,1 „Nepotianus meus, tuus, noster, immo Christi, et quia Christi, idcirco plus noster, reliquit senes."

ep. 60,14 „ut regi, sic episcopo; immo minus episcopo quam regi."

ep. 114,3 „suscipe igitur librum tuum, immo meum, et ut verius loquar, nostrum;" cf. ep. 127,1 „Marcellam tuam, immo meam, et ut verius loquar, nostram."

ep. 126,1 „lubrica et subdola, immo stulta confessione, dum auditorum simplicitati illudere nititur, suae fidei, immo perfidiae illusit."

ep. 130,14 „ex eo tempore, quo virginitati perpetuae consecrata es, tua non tua sunt, immo vere tua, quia Christi esse coeperunt."

c. De exclamatione.

Transeo ad exclamationem et paucos proferam locos:

ep. 1,8 „o omnibus res inaudita saeculis."

ep. 1,11 „o divinae potentiae sublimanda potestas."

ep. 1,14 „o vere ius summum, summa malitia."

ep. 7,6 „o beata domus, in qua morantur . . . .;
o tecta felicia, in quibus cernimus . . . ."

ep. 45,4 „o invidia primum mordax tui.
o Satanae calliditas semper sancia persequens."

ep. 60,18 „o si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus."

Praeterea lege ep. 15,3 „pro dolor", ep. 13,1 „vae mihi misero, ne dicam et tibi" etc.

d. De interrogatione.

Nonnunquam exclamatio cum interrogatione coniuncta est, velut:

ep. 1,8 „pro, rogo, quae est ista securitas?"

ep. 14,10 „o desertum Christi floribus vernans. O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in apocalypsi civitas magni regis exstruitur. O eremus familiarius deo gaudens. Quid agis, frater, in saeculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum umbrae premunt? . . . . . ."

ep. 147,7 „o funestos oculos meos. O diem illum omni maledictione dignissimum, in quo epistulas tuas, quas hucusque retinemus, consternata mente legi. Quae ibi turpitudines, quae blanditiae? Quanta de condicto stupro exsultatio? Haeccine diaconum non dicam loqui, sed scire potuisse? Ubi miser ista didicisti, qui in ecclesia te nutritum esse iactabas?"

Omnium interrogatio mentis figurarum creberrima est, et apud Hieronymum sescenties invenitur. En pauca exempla:

ep. 82,6 „quis tam argutum et callens non perhorrescat ingenium? Quis tanto possit eloquentiae fulmini respondere? Quid est plus, sustinere calumniam an facere? Accusare quem postea diligas an peccanti veniam tribuere? Quid minus ferendum, de sycophanta aedilem fieri an consulem?"

ep. 117,3 „tu vero, filia . . ., tu, inquam, filia, eius domum angustam iudicas, cuius non tibi fuit venter angustus? Decem mensibus utero clausa vixisti, ex uno die in uno cubiculo cum matre non duras? An oculos eius ferre non potes et quae omnes motus tuos, utpote illa quae genuit, quae aluit et ad hanc perduxit aetatem, facilius intellegit, testem domesticam fugis? Si virgo es, quid times diligentem custodiam? Si corrupta, cur non palam nubis?"

Aliis locis interrogatio dubitationem exprimit, cf. ep. 7,6 „quid faciam? Vocem pectori negare non valeo.

Epistulae brevitas compellit tacere,
desiderium vestri cogit loqui;

praeproperus sermo,
confusa turbatur oratio,
amor ordinem nescit."

Haud raro is qui interrogat, ipse sibi respondet, cf.:

ep. 16,1 „quorsum ista tam longo repetita principio? Videlicet ut parvum magnus aspicias; ut dives pastor morbidam non contemnas ovem;"

ep. 84,2 „quid ibi de dogmatibus ecclesiae dicitur? Quid de patre et filio et spiritu sancto? Quid de carnis resurrectione? Quid de animae statu atque substantia? Simplex interpretatio atque doctrina simplici voce laudata est. Nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehensum est. Moralis tantum tractatur locus;"

cf. etiam ep. 82,3 „ quis eos compellit exire? *Nonne amor tui?* Quis per eremum separatos in unum cogit? *N nne tua dilectio*? Amare enim parens debet."

Interdum alium sibi respondentem facit, cf. ep. 6,1 (excusat se apud Julianum, quod non scripserit): „Dicam: saepe scripsi, sed neglegentia baiulorum fuit? Respondebis: omnium non scribentium vetus ista excusatio est. Dicam: non repperi, qui epistulas ferret? Dices hinc istuc isse quam plurimos. Contendam me etiam his dedisse? At illi, quia non reddiderunt, negabunt, et erit inter absentes incerta cognitio. Quid igitur faciam? . . ."

Sic iam figuram fictionis personarum attigimus.

e. De fictione personarum.

Fictionem personarum Hieronymus non sprevit, liceatque mihi unum vel alterum proferre locum, quamquam dubitari potest, an figuris sententiarum attribuenda sit:

ep. 14,3 „nunc tibi blandis vidua soror haeret lacertis; nunc illi cum quibus adolevisti, vernaculi aiunt: Cui nos servituros relinquis? Nunc et gerula quondam iam anus et nutricius, secundus post naturalem pietatem pater, clamitat: Morituros exspecta paulisper et sepeli."

ep. 39,6 (Blaesillam mortuam loquentem facit): „Quas nunc existimas Blaesillam nostram pati cruces, quae ferre tormenta, quod tibi Christum videat subiratum? Clamat nunc illa lugendi: Si unquam me amasti, mater, si tua ubera suxi, si tuis instituta sum monitis: ne invideas gloriae meae nec hoc agas, ut a nobis in perpetuum separemur. Putas esse me solam? Habeo pro te Mariam, matrem domini. Multas hic video, quas ante nesciebam. O quanto melior est iste comitatus . . . .“

f. De omissione.

E ceteris sententiarum figuris omissionem eligam paucisque exemplis illustrabo, quomodo Hieronymus ea usus sit:

ep. 22,39 „taceo quod usque ad triginta annos ignobilis parentum paupertate contentus est: verberatur et tacet: crucifigitur et pro crucifigentibus deprecatur.“

ep. 54,2 „taceo de Paula et Eustochio, stirpis vestrae floribus, ne per occasionem exhortationis tuae illas laudare videar. Blaesillamque praetereo, quae maritum suum, tuum secuta germanum, in brevi vitae spatio tempora virtutum multa complevit.“

ep. 108,3 „carpamus igitur narrandi ordinem. Alii altius repetant et . . . matrem Blaesillam et Rogatum proferant patrem: quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est: alter per omnes fere Graecias usque hodie stemmatibus et divitiis ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione delevit. Nos nihil laudabimus nisi quod proprium est et de purissimo sanctae mentis fonte profertur.“

Liceat mihi hoc loco repraesentationem quae dicitur, figuram omissioni quasi contra positam, quae nonnullis locis exstat, attingere; eligo ep. 1,9 „huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus: circa quorum saraballa sanctamque caesariem innoxium lusit incendium. Huc beati Danielis revocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis praedam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide omnium subeat mentibus.“

II. De tropis.

1. De translatione.

Iam ad tropos me vertam atque primum translationem vel μεταφοράν tractabo, quae omnium exornationum creberrima est. Atque eas translationes, quas Hieronymus iam apud priores invenerit, proferre non neglegam, quantum e lexico Forcelliniano cognosci potest; tamen quia lexica praeter thesaurum paucis ante annis inceptum imperfecta sunt, ne hoc quidem modo, quas metaphoras Hieronymus ipse formaverit, certo distinguere possumus. Iam in medias res me conferam atque, ne longior sim, selectis exemplis utar.

1. Substantiva:

ep. 18,14 „evangelicum testamentum missum asserimus ad prophetam: quod habens in se utraque mandata, id est et sua et veteris testamenti ignitum sermonem dei duplici praceptorum *acie* comprehendit;“ ep. 48,12 „patet campus, stat e contra *acies*, adversarii dogma manifestum est“ etc.; cf. Plaut. Epid. 547 „orationis *aciem* contra conferam“ etc.

ep. 36,8 ‘mortis atque peccati *aculeus*’; ep. 22,5 ‘carnis *aculei*’; ep. 108,1 ‘doloris *aculei*’ etc.; cf. Plaut. Trin. 1000 „iam dudum meum ille pectus pungit *aculeus*, quid illi negoti fuerit ante aedis meas“; Cic. ad Att. I, 18,2 ‘domesticarum sollicitudinum *aculei*’ etc.

ep. 66,8 „hic thesaurus in *agro* scripturarum nascitur“; saepius, ut iam apud priores, vocem ‘*campus*’ simili modo translatam invenimus (cf. epp. 48,12; 102,2; 115,1 etc.).

ep. 1,13 „*infer* novum sepulcro *bellum*“, i. e. aperi sepulcrum; cf. Cic. or. II, 155 ‘philosophiae *bellum indicere*’ etc.; ep. 1,5 „nec papillis *dantur indutiae*“, i. e. nec papillis (vel potius: mammis) parcitur; cf. Plaut. Amph. 389 „immo *indutiae* parumper *fiant*, siquid vis loqui“ etc.

ep. 60,10 Nepotianus lectione assidua et meditatione diuturna „pectus suum *bibliothecam* fecerat Christi;“ ep. 77,7

„(Fabiola) per prophetas evangelia psalmosque currebat, quaestiones et proponens et solutas recondens in *scriniolo* pectoris sui.“

ep. 15,3 „vobiscum pariter *cauterio* unionis inurimur.“

ep. 108,3 „alii altius repetant et a *cunabulis* ipsisque, ut ita dicam, *crepundiis* matrem Blaesillam et Rogatum proferant patrem;“ cf. Cic. ad Att. II, 15,3, qui profert versum „In montes patrios et ad *incunabula* nostra“ etc.; ‘a *crepundiis*’ occurrit in inscr. (C. J. L. VI 1724) anni 435 p. C.

ep. 22,7 desertum nominat ‘carnis *ergastulum*’.

ep. 3,3 ‘*glutino* caritatis haerens’; ep. 5,1 ‘amicitiae, quae Christi *glutino* cohaeserunt’; ep. 53,1 ‘necessitudo Christi *glutino* copulata’; ep. 117,2 ‘peccatorum *glutino* cohaerere’; cf. [Appul.] Asclep. c. 39: „εἱμαρμένη et necessitas ambae sibi invicem individuo connexae sunt *glutino*“ etc.

ep. 22,30 ‘oculi tanto lacrimarum *imbre* perfusi’, cf. Ov. trist. I 3,18 „*imbre* per indignas usque cadente genas“ etc.

ep. 125,14 ‘summis *labiis* hospites invitare’; cf. Cic. deor. nat. I 20 „hunc censes primis, ut dicitur, *labris* gustasse physiologiam, qui quicquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse?“ etc.

ep. 147,5 „ubi *mare* illud eloquentiae Tullianae?“ Multo saepius invenitur metaphora ‘*flumen* eloquentiae’, quae iam apud priores exstat; etiam ‘*fulmen* eloquentiae’ occurrit; interdum codices variant inter ‘*flumen* eloquentiae’ et ‘*fulmen* eloquentiae’.

ep. 5,2 „nosti hoc esse animae Christianae *pabulum*, si in lege domini cogitetur“; similiter haec vox ab Hieronymo saepissime translata est, cf. Cic. acad. II, 127 etc.; ep. 130,4 ‘cogitationibus animum *pascere*’; ep. 24,4 ‘iugi ieiunio *pasci*’ etc., cf. Cic. Verr. act. II l. V 65 etc.

ep. 97,2 „quid maledictorum *pannos* hinc inde consuitis?“ cf. ep. 108,10. Cf. Hor. carm. I 35,21 „te spes et albo rara fides colit velata *panno*“, Petr. c. Trim. 83 „sola pruinosis horret facundia *pannis*“ etc.

ep. 3,2 „tandem plenum veritatis *pondus* erupit", i. e. tandem pro certo comperi: cf Cic. or. II 72 „omnium verborum *ponderibus* est utendum;"

saepius occurrit '*pondus* delictorum' (cf. ep. 14,5); cf. Lucan. IX 951 '*pondera* curarum' etc.

ep. 133,3 „doctrina tua Origenis *ramusculus* est."

ep. 13,1 'veterem *rancorem* deponere'; ep. 102,1 „mitte exemplaria veriora, ut absque ullo *rancore* stomachi in scripturarum disputatione versemur;" cf. ep. 81,1.

ep. 36,9 'ingens disputationis *silva*'; ep. 64,20 'infinita sensuum *silva*'; cf. Cic. or. III 103 etc.

ep. 119,11 „quarum omne studium est, immo scientiae *supercilium* aliena carpere"; cf. Cic. de l. agr. II 93 „hunc Capuae Campano *supercilio* ac regio spiritu cum videremus" etc.

ep. 64,23 „absque *tintinnabulis* enim et diversis *coloribus* et *gemmis floribusque* virtutum nec sancta ingredi potest nec nomen antistitis possidere," cf. epp. 65,2; 122,4; 125,2 etc.; vox '*tintinnabulum*' ante Hieronymum simili modo translata esse non videtur; ceterae metaphorae iam apud priores occurrunt, velut apud Mart. V 11,3 „multas in digitis, plures in carmine *gemmas* invenies."

2. *Adiectiva*:

ep. 7,6 venter matris Chromatii et Eusebii „vere *aureus* potest dici", quia tales genuit liberos; cf. Verg. Aen. X 16 'Venus *aurea*' etc.

ep. 22,6 „nihil in te *Babylonium*, nihil confusionis adolescat," cf. ep. 7,3.

ep. 40,2 '*cava* verba'.

ep. 40,1 '*inclementi* secare ferro', cf. Liv. IX 34 '*inclementiori* verbo appellare'; Plaut. Amph. 742 '*inclementer* dicere' etc.

ep. 4,2 '*individua* germanitatis caritas', cf. [Quintil.] declam. V 3 '*individua* pietas' etc.

ep. 50,4 'in disputando *nodosus* est', cf. Sen. Oed. 101 '*nodosa* sortis verba' etc.

ep. 126,1 „*viva*, ut aiunt, voce docere te poterit“, cf. Quintil. inst. II 2,8 etc.

3. Verba.

ep. 14,6 „licet in modum stagni fusum aequor *arrideat*“; cf. Lucr. II 32 „praesertim cum tempestas *arridet*“ etc.

ep. 108,2 ‘in Eustochii consolationem libellus hic *cuditur*’, cf. ibid. c. 27; Ter. Eun. 381 „at enim istaec in me *cudetur* faba“ etc.

ep. 39,1 ‘corpusculum febrium ardor *excoquit*’, cf. Sen. Herc. fur. 105 ‘mentem *excoquere*’; Verg. Aen. VII 345 „curaeque iraeque *coquebant*“ etc.;

ep. 4,1 „quem intolerabilis languor *exedit*“, cf. Cic. Tusc. III 13 ‘aegritudo *exest* animum’ etc.

ep. 3,1 „corpusculum crebri *frègere* morbi“, quae metaphora apud priores saepissime invenitur; adde ep. 107,5 ‘verba *frangere*.’

ep. 1,9 ‘circa sanctam caesariem innoxium *lusit* incendium’; ep. 22,13 ‘erecta cervice et *ludentibus* pedibus incedere’;

apud priores ‘*ludere*’ saepissime idem significat quod ‘illudere’ ‘irridere’, cf. Hier. ep. 52,8 „praeceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus eleganter *lusit*“ (profert verba eius).

ep. 1,7 ‘fibula chlamydis *mordebat* oras’, cf. Verg. Aen. XII 274 ‘laterum iuncturas fibula *mordet*’ etc;

ep. 117,4 ‘conscientia *mordet*’, ep. 147,2 ‘paenitentia *remorderi*’, ep. 107,4 ‘laudibus *morderi*’ etc., cf. Quintil. inst. I 3,7 ‘*mordebit* obiurgatio’ etc.;

ep. 50,1 ‘libros canino dente *rodere lacerare convellere*’ etc.; cf. Cic. Balb. 57 (*rodere*), Cic. Phil. XI 5 (*lacerare*) Cic. ad Att. VIII 15,2 (*convellere*) etc.

Verbum ‘*mori*’ vario modo vitavit, lege ep. 1,3 ‘*corpus exuere*’ (Ov. met. XIV 777 ‘*animam exuere*’ etc.); ep. 1,13 ‘debitum caelo *spiritum reddere*’, ep. 77,11 ‘debitam Christo *animam reddere*’ (Lucr. VI 1198 ‘*reddere vitam*’; Vell. II 14

'ultimum *spiritum reddere*'; Vell. II 123 '*animam caelo reddere*' etc.); ep. 23,1 '*fracto vase testaceo*' (Cic. Tusc. I 22 'corpus quasi *vas* est aut aliquod animi receptaculum' etc.); ep. 77,11 'ad caelum *volare*', ep. 66,15 '*subvolare*', ep. 39,1 '*revolare*' etc.; (Plaut. Pseud. 841 „is odos dimissis pedibus in caelum *volat*"; Ov. trist. III 3,61 'morte carens vacuam *volat* altus in auram spiritus' etc.);

valde adamat verbum '*dormire*', velut ep. 77,10 „Paulina *dormit* ut iste (i. e. Pammachius) *vigilet*" etc. (Plaut. Amph. 313 „quid si ego illum tractim tangam, ut *dormiat*?" etc.; Verg. georg. I 312 „atque ubi iam breviorque dies et mollior aetas, quae *vigilanda* viris?" etc.). Sed cf. ep. 64,22 „ita tegantur genitalia, ut nullorum oculis pateant: ne quando intramus sancta sanctorum, si qua apparuerit turpitudo, *morte moriamur*".

ep. 79,7 „in tumulo mariti *sepelisti* omnes pariter voluptates"; cf. Plaut. Most. 1122 'somnum sepelire' etc.

2. De similitudine.

Eximium adiumentum ad inferendam rebus lucem, quo simul sermo ornetur, similitudo est, quae Graece εἰκασία vel παραβολή nominatur[1]). Similia ab Hieronymo adhibita maxima ex parte res Christianas respicere non miramur; legimus enim in ep. 60,4: „(ante resurrectionem Christi homines) piscium ritu ac locustarum et velut muscae et culices conterebantur: absque notitia etenim creatoris sui omnis homo pecus est."

Saepius res vel personas inter se confert, velut in ep. 60,14 regem cum episcopo; in ep. 23,3 mortuam Leam, feminam religiosissimam, cum consule designato, qui eodem tempore obierat.

---

[1]) Cf. ep. 121,6 „interpretemur eam quasi parabolam, hoc est similitudinem, quae ab eo vocatur quod alteri παραβάλλεται, hoc est assimilatur et quasi umbra praevium veritatis est".

In ep. 15,1 occidentis fidem orientis corruptae doctrinae ita contraponit: „(*in occidente*) caespite terra fecundo dominici seminis puritatem centeno fructu refert: (*in oriente*) obruta sulcis frumenta in lolium avenasque degenerant.“ „*In occidente* sol iustitiae oritur: *in oriente* autem Lucifer . . . supra sidera posuit thronum suum.“ Ii qui *in occidente* habitant, sunt „lux mundi,“ „sal terrae,“ „aurea vasa et argentea“: qui *in oriente*, „testacea vasa vel lignea“ et „virgam ferream et aeternum opperiuntur incendium“.

In ep. 14,8 Hieronymus se monachum cum clericis contulit: „*clerici* pascunt oves: *ego* pascor. *Illi* de altario vivunt: *mihi* quasi infructuosae arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.“

In ep. 7,3 Bonosum sibi contraposuit: „*Bonosus*, ut scribitis, quasi filius ἰχθύος, id est piscis, aquosa petit: *nos* pristina contagione sordentes quasi reguli et scorpiones arentia quaeque sectamur. *Ille* iam calcat super colubri caput: *nos* serpenti terram ex divina sententia comedenti adhuc cibus sumus.“ „*Ille* . . . in ecclesiae gremio sedens ad exemplum Joannis librum forte iam devorat: *ego* in scelerum meorum sepulcro iacens et peccatorum vinculis colligatus dominicum de evangelio exspecto clamorem: Hieronyme, veni foras.“ „*Bonosus* . . . : *me* vero Nabuchodonosor ad Babylonem, id est confusionem mentis meae catenatum duxit.“ „Ut breviter coeptam dissimilitudinem finiam, *ego* veniam deprecor: *ille* exspectat coronam [1].“

In ep. 2,1 exclamat: „ego ita sum quasi a cuncto grege morbida aberrans ovis.“ „Ego sum ille prodigus filius, qui omni quam mihi pater crediderat, portione profusa necdum me ad genitoris genua submisi“; cf. epp. 15,2; 16,1.

In ep. 14,6 cum ‘nuper naufragio in litus eiecto’ se comparat [2]; aliter in ep 15,2 (ad Damasum, de tribus hypostasibus): „collegas tuos Aegyptios confessores sequor et sub onerariis navibus parva navicula delitesco“.

[1]) Simili modo in ep. 4,2 cum Rufino se contulit.
[2]) Cf. ep. 125,2.

Cf. ep. 53,10 (Paulinum ad studium litterarum sacrarum provocat et adhortatur, ut se a saeculi rebus penitus expediat): „festina, quaeso te, et haerentis in salo naviculae funem magis praecide quam solve;“ ep. 43,3 (Marcellam hortatur, ut Roma relicta rus se conferat): „quapropter quia multa iam vitae spatia transmisimus fluctuando et navis nostra nunc procellarum concussa turbine, nunc scopulorum illusionibus perforata est, cum primum licet, quasi portum quendam secreta ruris intremus;“ cf. ep. 3,4.

Rufinum, quem videre vehementer desiderat, ita alloquitur (ep. 3,2): „credas mihi, frater,

non sic tempestate iactatus portum nauta pro*spectat*;
non sic sitientia imbres arva desiderant;
nec sic curvo assidens litori anxia filium mater ex*spectat*.“

Recentem amicum quod nihil ad se rescripserit, his verbis vituperat (ep. 9,1): „ferae . . . comprehendunt . . . et tamdiu meminere praedandi, quamdiu venter vacuus siccum fame guttur exasperat. Ubi vero sanguine pasta feritas viscera distenta compleverit, cum saturitate succedit oblivio: tamdiu nescitura quid capiat, donec memoriam revocaverit esuries. Tu necdum satiatus e nobis, cur finem iungis exordio? Cur amittis antequam teneas?“

Imaginibus e re navali sumptis etiam tum utitur, cum de sermone vel de scripturis loquitur; exemplum memoratu dignissimum iam in prima epistula (c. 2) legimus, qua Innocentii precibus commotus historiam miraculi cuiusdam refert, quod Vercellis acciderat. Ut se adhuc nihil concepisse exprimat, ‘cum rudi vectore se comparat, qui super onerariam navem imponitur et Euxini maris creditur fragoribus, quamquam necdum scalmum in lacu rexit.’ Tum Innocentium allocutus pergit: „hortaris, ut tumida malo

vela sus*p*endam,
rudentes ex*p*licem,
clavum regam.

Pareo iam iubenti . . . : si me ad optatos portus aestus impulerit, gubernator putabor infirmior; si inter as-

peros orationis anfractus impolitus sermo substiterit, facultatem forsitan quaeras, voluntatem certe flagitare non poteris.“ Cf. ep. 14,10 (ad Heliodorum, quem apud se in eremo detinere frustra conatus erat): „sed quoniam e scopulosis locis enavigavit oratio et inter cavas spumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba processit, expandenda vela sunt ventis et quaestionum scopulis transvadatis laetantium more nautarum epilogi celeuma cantandum est;“ sequuntur exclamationes cum interrogationibus rhetoricis coniunctae, quibus solitudinem praedicat (cf. supra p. 25).

Addo ep. 108,27 (epitaphium Paulae): postquam vita Paulae descripta ad eius mortem pervenit, ita pergit: „hucusque prosperis navigavimus ventis, et crispantia maris aequora labens carina sulcavit. Nunc in scopulos incurrit oratio, et tumentibus fluctuum montibus praesens utrique nostrum intentatur naufragium . . . . Quis enim possit siccis oculis Paulam narrare morientem?“ Sequitur egregia periodus, quam infra invenies. Praeterea imprimis lege epp. 10,3; 112,20.

Quoniam ‘scelera nostra semper contra divina pugnant’ (ep. 10,1): ‘grandis virtutis est secum pugnare cotidie et inclusum hostem Argi, ut fabulae ferunt, centum oculis observare’ (ep. 54,9). Similiter in ep. 14,6:

„intus inclusum est periculum,
intus est hostis;
ex*p*edite rudentes,
vela sus*p*endite.

Crucis antemna figatur in frontibus.“

„Nonne melius est brevi tempore dimicare, ferre vallum, arma sumere, lacessere sub lorica et postea gaudere victorem, quam impatientia unius horae servire perpetuo?“ (ep. 22,39); cf. ep. 108,18: „Job nisi certasset et vicisset in proelio, non accepisset coronam iustitiae.“

Heliodorum his verbis stimulat (ep. 14,2): „quid facis in paterna domo delicate miles? Ubi vallum? Ubi fossa, ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de caelo tuba canit:

ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur . . . . .“

In ep. 130,5 Demetriadem virginem monet:

„assume { scutum fidei,
loricam iustitiae,
galeam salutis,
procede { ad proelium.“

Adscribo ep. 66,11 (ad Pammachium, qui xenodochium exstruxerat): „audio te xenodochium in portu fecisse Romano et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse litore. Quasi Aeneas nova castra metaris et super undam Tiberis, ubi ille cogente quondam penuria crustis fatalibus et quadris patulis non pepercit, tu viculum nostrum, id est domum panis Bethleem aedificas et diuturnam famem repentina saturitate compensas.“

Contra haereticos et paganos miles Christianus scripturis pugnat, cf. ep. 57,4 „volo in chartulis meis . . . remordere laedentes, digerere stomachum, in locis me exercere communibus et quasi limatas ad pugnandum sagittas reponere.“

Peccata Christiani quasi vulnera a diabolo accepta sunt, cf. ep. 77,3 „(Fabiola) dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.“

Quae vulnera acribus sermonibus sanari debent, cf. ep. 117,2 (matrem et filiam, quae inter se dissidebant, vituperat): „deinde hoc obsecro, ut si mordacius quippiam scripsero, non tam meae putetis austeritatis esse quam morbi. Putridae carnes ferro curantur et cauterio: venena serpentino pelluntur antidoto. Quod satis dolet, maiore dolore expellitur.“ Similiter in ep. 55,4 „obsecro te, ut consoleris eam, immo provoces ad salutem. Putridae carnes ferro indigent et cauterio“; cf. ep. 40,1.

Adde ep. 66,1 (ad Pammachium, cuius uxorem mortuam laudat): „sanato vulneri et in cicatricem superductae cuti si medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quaerit, plagam doloris instaurat. Ita et ego serus consolator, qui importune per biennium tacui, vereor, ne nunc importunius loquar et attrectans vulnus pectoris tui,

quod tempore et ratione curatum est, commemoratione exulcerem."

E scaena haec parabola sumpta est: „quomodo in theatralibus scaenis unus atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen: ita et nos, qui si de mundo non essemus, odiremur a mundo, tot habemus personarum similitudines quot peccata" (ep. 43,2).

Permagni Hieronymus noster virginitatem, marito mortuo viduitatem aestimat; nuptias quamquam non vetat, tamen minoris facit. Quam rem saepius similibus explanat, velut in ep. 66,2. Aliam parabolam invenimus in ep. 22,20:

„laudo nuptias,
laudo coniugium, sed quia mihi virgines generant:
lego de spinis rosam,
de terra aurum,
de concha margaritam."

Lege etiam ep. 48,11 „ecclesia enim non damnat matrimonia, sed subicit: nec abicit, sed dispensat sciens, sicut supra (ep. 48,2) diximus, in domo magna non solum esse vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia;" quibuscum cf. ep. 52,9.

Furiam ne novum matrimonium ineat adhortatur, nam „bruta quoque animalia et vagae aves in easdem pedicas retiaque non incidunt" (ep. 54,4); cf. ep. 79,10 (ad Salvinam viduam).

Iam pueri et imprimis puellae ita educandi sunt, ut perpetuam virginitatem servent; qua de causa magistro opus est: „nulla (enim) ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos . . ." (ep. 125,15). Magister, vel magistra „sobria gravis lanifica (esse debet) et ea tantum loquens, quae animum puellarem ad virtutem instituant. Ut enim aqua in areola digitum sequitur praecedentem, ita aetas mollis tenera in utramque partem flexibilis est et quocumque duxeris, tra-

hitur" (ep. 128,3)[1]). Cf. ep. 7,4 (ad Chromatium Jovinum Eusebium, quibus sororem suam commendat): „soror mea sancti Juliani in Christo fructus est. Ille plantavit, vos rigate: dominus incrementum dabit."

Pulchritudo corporis per breve tempus florens animos iuvenum virginumque inflare non debet, cf. ep. 60,13 (epitaphium Nepotiani): „ubi nunc decora illa facies, ubi totius corporis dignitas, quo veluti pulchro indumento pulchritudo animae vestiebatur? Marcescebat, pro dolor, flante austro lilium et purpura violae in pallorem sensim migrabat;" ep. 140,9 „sicut enim mane virens herba et suis floribus vernans delectat oculos contemplantium paulatimque marcescens amittit pulchritudinem et in fenum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum

*v*ernat in *p*arvulis,
floret in iuvenibus,
*v*iget in *p*erfectae aetatis viris:

et repente dum nescit,

in*c*anescit *c*aput,
rugatur facies,
*c*utis prius extenta *c*ontrahitur;"

ibid: „sicut enim herba mane crevit floruit et siccatur ad vesperamque indurescit et deperit: ita erit omnis hominum pulchritudo."

Quia „non Aetnaei ignes,
non *V*ulcania tellus,
non *V*esevus et Olympus

tantis ardoribus aestuant ut iuveniles medullae vino plenae et dapibus inflammatae[2])" (ep. 54,9): Hieronymus hortatur, ut parcum cibum capiant. „Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis ieiuniis praefertur; et multo melius est,

---

[1]) Cf. ep. 107,9 „mementote . . . magis eam exemplis doceri posse quam voce. Cito flores pereunt, cito violas et lilium et crocum pestilens aura corrumpit."

[2]) Cf. ep. 52,3.

cotidie parum quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quae sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in praeceps arva subvertit" (ep. 54,10).

Virginem solam domo exire vetat in ep. 130,19 „quae vivunt in monasterio et quarum simul magnus est numerus, nunquam solae, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter unam separat, quam statim invadat et laceret, cuius carnibus et cruore saturetur. Morbidae oves suum relinquunt gregem et luporum faucibus devorantur;" neque vero virginibus concedit, ut mulieribus coniugiis obligatis familiariter utantur: „virgo es, quid te mulieris delectat societas? Quid fragilem et sutilem ratem magnis committis fluctibus et grande periculum navigationis incertae securus ascendis?" (ep. 128,3).

'Mens Christo dedita aeque in maioribus et in minoribus intenta esse debet: sicut creatorem non in caelo tantum miramur et terra sole oceano elephantis camelis equis bobus pardis ursis leonibus; sed et in minutis quoque animalibus, formica culice muscis vermiculis et istius modi genere, quorum magis corpora scimus quam nomina' (ep. 60,12).

3. De sententia.

Brevissime tangam sententias[1]), quas ab Hieronymo dilectas esse iam ex iis, quae in epistula 58 dicit, cognosci potest; scribit enim Paulino (c. 8): „librum tuum . . . libenter legi . . .; cumque in primis partibus vincas alios, in paenultimis te ipsum superas. Sed et ipsum genus eloquii pressum est et nitidum: et cum Tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis. Jacet enim, ut ait quidam, oratio, in qua tantum verba laudantur;" cf. ep. 58,10

---

[1]) Cf. ea, quae Volkmann „Die Rhetorik der Griechen und Römer" II. Aufl. p. 452: „Die im bisherigen besprochenen Steigerungsmittel . . . sind mehr oder weniger auf das πάθος der Zuhörer berechnet. Auf ihr ἦθος dagegen . . . wirkt der Redner durch die Anwendung von Sentenzen, die darum ein nicht minder wichtiges Kunstmittel der Darstellung sind."

„Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo.“

Itaque non miramur Hieronymum ipsum abunde sententiis usum esse, quas paene omnes diligentissime collegit A. Otto „Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer“ Leipzig 1890.

III. De compositione et numero.

1. De compare.

Figuris tropisque tractatis in compositionem orationis inquiram, quae ad Hieronymi oratorium genus dicendi cognoscendum aptissima est; qua de causa multis exemplis illustretur. Primum de compare, tum de commutatione, postremo de compare commutationi coniuncto agam. Ut rem clariorem reddam, numerum membrorum periodi notis breviter indicabo atque membra aequalia singulis unumquodque notis complectar. Iam audi exempla:

2 a:

ep. 1,2: quod implere non possum,
negare non audeo; id. in ep. 130,1.
ep. 2,1: nunc in medio constitutus elemento
nec regredi volo,
nec progredi possum.
ep. 3,5: quas nunc diabolum nectere credis tricas?
quas parare arbitraris insidias?
ep. 14,10: quamdiu te tectorum umbrae premunt?
quamdiu fumosarum urbium carcer includit?
ep. 22,28: talem olim Anthimum,
talem nuper Sophronium Roma congemuit.
ep. 48,20: prima est virginitas a nativitate,
secunda virginitas a secunda nativitate.
ep. 1,15: cuius ego pro Christo laborem,
si arbitrer a me dici posse non sapiam;
si penitus tacere velim voce in gaudium erumpente non possim.

ep. 22,30: testis est tribunal illud, ante quod iacui;
testis iudicium triste, quod timui.

ep. 60,7: nec doleas, quod talem amiseris;
sed gaudeas, quod talem habueris.

ep. 77,4: factum est, ut qui me prius
docuerat virtutibus suis, quomodo stans non caderem,
doceret per paenitentiam, quomodo cadens resurgerem.

ep. 10,2: tamen
illis hoc *d*iabolus ministrat, ut peccent;
tibi *d*ominus praestat, ut gaudeas.

ep. 11,1: dico enim *l*aesus,
dico *l*acrimans et irascens.

ep. 14,2: *c*orpus assuetum tunica loricae onus non fert;
*c*aput opertum linteo galeam recusat.

ep. 18,7: nihil in eis *d*issonum,
nihil *d*iversum est.

ep. 48,12: aliter teneant modum in *d*isputando,
aliter virgam in *d*ocendo.

ep. 60,10: inter presbyteros et coaequales
primus in *o*pere,
extremus in *o*rdine.

ep. 60,10: virgines et viduas Christi *h*onorare ut matres,
*h*ortari ut sorores.

ep. 64,21: ut quod mente *per*cipimus,
opere *per*petremus.

ep. 66,12: coniuncta *dis*glutinamus,
unita *dis*cindimus.

ep. 82,10: persecutionibus *c*revit,
martyriis *c*oronata est.

ep. 128,4: sit ei magistra *c*omes,
paedagoga *c*ustos.

ep. 129,1: cum a maioribus eorum
iam fuerit ante *p*ossessa
ac proinde non sit *p*romissa, sed reddita.

ep. 15,2: a *s*acerdote victimae *s*alutem,
a *p*astore *p*raesidium ovis flagito.

ep. 16,2: ita te alius senem cum *P*etro *c*ingat,
ita municipatum caeli cum *P*aulo *c*onsequaris.

ep. 21,26: *c*uius *c*otidie *c*arne *p*ascimur,
*c*ruore *p*otamur.

ep. 1,2: facul*tatem* forsitan quaeras,
volun*tatem* certe flagitare non poteris.

ep. 14,8: gaud*ebo* de ascensu,
sed tim*ebo* de lapsu.

ep. 22,41: lae*tabitur* illa, quod genuit;
exsul*tabitur* ista, quod docuit.

ep. 64,7: praeterit*orum* obliti,
futur*orum* avidi.

ep. 117,9: tu esto cum m*atre*,
sit ille cum fr*atre*.

ep. 8,1: unde
et porti*tores* earum tabell*arios*
et scrip*tores* a libris arborum libr*arios* vocavere.

ep. 54,1: ut non tam laud*anda* sis, si vidua per*s*everes,
quam exsecr*anda*, si id Christiana non *s*erves.

ep. 58,6: habeto
*s*implicitatem columbae, ne cuiquam machin*eris* dolos;
et *s*erpentis astutiam, ne aliorum supplant*eris* insidiis.

ep. 60,19: iun*gamur* *s*piritu,
*s*trin*gamur* affectu.

ep. 128,5: ante lacrimas *scitura* quam risum,
prius fletum *sensura* quam gaudium.

3 a:

ep. 1,11: semel percussa concutitur,
iterum repetita quassatur,
tertio vulnerata prosternitur.

ep. 5,1: illae inter nos currant,
illae sibi obvient,
illae nobiscum loquantur.

ep. 22,27: neque vero moneo,
ne de divitiis glorieris,
ne generis nobilitate te iactes,
ne te ceteris praeferas.

ep. 22,29: quid facit
cum psalterio Horatius?
cum evangeliis Maro?
cum apostolo Cicero?

ep. 30,1: aut de natura disputare,
ut in genesi et in ecclesiaste:
aut de moribus,
ut in proverbiis et in omnibus sparsim libris;
aut de logica,
pro qua nostri theoricen sibi vindicant,
ut in cantico canticorum et in evangeliis.

ep. 50,5: hic bene dixit, ille male;
iste scripturas novit, ille delirat;
iste loquax, ille infantissimus est.

ep. 52,3: aetate fit doctior,
usu tritior,
processu temporis sapientior.

ep. 5,2: ceteros hospitio recipis,
*s*olatio foves,
*s*umptibus iuvas.

ep. 43,3: habeat sibi Roma suos tumultus:
arena *s*aeviat,
circus in*s*aniat,
theatra luxurient.

ep. 82,5: totum *t*imet,
totum *t*emperat,
totum relinquit ambiguum.

ep. 84,2: laudavi *in*terpretem, non dogmatisten;
*in*genium, non fidem;
philosophum, non apostolum.

ep. 140,20: scribit ad *p*arvulos,
scribit ad iuvenes,
scribit ad *p*atres.

ep. 3,6: *d*iu quaeritur,
*v*ix in*v*enitur,
*d*ifficile servatur.
ep. 54,1: *g*audet *a*nimus,
exsultant viscera,
*g*estit *a*ffectus.
ep. 60,5: *o*ccupata *l*uctu,
*o*ppressa *l*acrimis,
praepedita singultibus dicendi ordinem non tenes?
ep. 60,14: ille enim n*olentibus* praeest, hic v*olentibus*;
ille terrore subicit, hic servitute dominatur;
ille corpora custodit ad mortem,
hic animas servat ad vitam.
ep. 130,1: in iub*endo* auctoritas,
in pet*endo* fides,
in extorqu*endo* perseverantia.
ep. 121,5: e regione dominus, qui
non ad iudic*andum* venerat, sed ad salv*andum*;
non in *p*otes*tate*, sed in *h*umili*tate*;
non in *p*atris gloria, sed in *h*ominis vili*tate*.
Praeterea cf. supra p. 11; p. 12; p. 13 etc.

4 a:

ep. 18,3: videt dominum sedentem in valle Josaphat:
non in colle,
non in monte,
sed in valle,
et in valle iudicii.
ep. 60,11: illum *o*culis,
illum manibus,
illum sinu,
illum *o*re tenebat.
ep. 77,11: non sic Furius de *G*allis,
non *P*apirius de Samnitibus,
non Scipio de Numantia,
non *P*ompeius de *P*onti *g*entibus triumphavit.

ep. 125,2: ostendam tibi variorum pulchritudinem florum:
quid in se lilia habeant *p*uritatis,
quid *r*osa verecundiae *p*ossideat,
quid violae *p*urpura *p*romittat in regno,
quid *r*utilantium spondeat *p*ictura gemmarum.
ep. 77,2: tradis mihi Fabiolam:
*l*audem Christian*orum*,
miraculum gentilium,
*l*uctum pauperum,
solatium monach*orum*.
ep. 121, praef.:
aliis dulcia placent,
nonnullos *s*ubamara delectant,
h*orum* *s*tomachum acida renovant,
ill*orum* *s*alsa *s*ustentant.
ep. 125,1:
nihil Christiano *f*elicius, cui promittitur regnum caelorum;
nihil laboriosius, qui cotidie de vita periclit*atur*;
nihil *f*ortius, qui vincit diabolum;
nihil imbecillius, qui a carne super*atur*.
ep. 130,14: Christum
*v*estire in pauperibus,
*v*isitare in langu*entibus*,
pascere in esuri*entibus*,
suscipere in his, qui tecto indigent. Cf. ep. 54,12.

6 a:

ep. 59,5: in omnibus locis versabatur:
cum *T*homa in *I*ndia,
cum *P*etro Romae,
cum *P*aulo in *I*llyrico,
cum *T*ito in Creta,
cum *A*ndrea in *A*chaia,
cum singulis apostolis et apostolicis viris
in singulis cunctisque regionibus.
ep. 60,5: praetermitto
*M*axim*os* *C*at*ones*,

Gall*os* Pis*ones*,
Brut*os* *S*caevolas,
*M*etell*os* *S*caur*os*,
*M*ari*os* *C*rass*os*,
*M*arcell*os* atque Aufidi*os*.

8 a:

ep. 55,5: in *S*alomone *sapientia*,
in *D*avid bonitas,
in *J*ob *patientia*,
in *D*aniele cognitio futurorum,
in *P*etro fides,
in *P*hinees et *P*aulo zelus,
in *J*oanne virginitas,
in ceteris cetera.

Plerumque membra periodi maioris digeruntur, et id vario modo[1]); audi hos locos:

2 + 2:

ep. 3,3: { postquam me a tuo latere
subitus turbo convulsit,
postquam glutino caritatis haerentem
impia distraxit avulsio:

{ 'tunc mihi caeruleus supra caput astitit imber,
tunc maria undique et undique caelum' (Verg. Aen. III 193).

ep. 45,4: lacerant sanctum propositum et remedium poenae suae arbitrantur:

{ si nemo sit sanctus,
si omnibus detrahatur;
{ si turba sit *p*ereuntium,
si multitudo *p*eccantium.

Cf. ep, 1,3: testis es . . .
non ideo me negare velle, ne *p*eream:
sed ideo mentiri nolle, ne *p*eccem.

---

[1]) Cf. E. Norden „De Minucii Felicis aetate et genere dicendi" Wiss. Beilage zum Vorlesungsverzeichnis der Universität Greifswald 1897 (p. 60).

ep. 48,13: { aliud est quaerere,
aliud *d*efinire; }

{ in altero pugnandum,
in altero *d*ocendum est. }

ep. 106,54: { sive *pl*oratum,
sive *pl*anctum, }

{ sive fletum,
sive lacrimas dixerimus, unus est sensus. }

ep. 57,4: tu { *c*orrumpas *s*ervulos,
*s*ollicites *c*lientes }

{ et, ut in fabulis legimus, auro ad Danaen penetres
dissimulatoque quod feceris, me falsarium voces. }

ep. 77,2: totam Fabiorum gentem proferret in medium:

{ *d*iceret *p*ugnas,
*d*escriberet *p*roelia, et . . . iactaret, ut }

{ quod in virga non poterat,
in radicibus demonstraret; }

cf. ep. 54,15: domestica oritur *p*ugna,
intestinum *p*roelium.

ep. 77,3: { aliae sunt leges *C*aesarum,
aliae *C*hristi; }

{ aliud *P*apinianus,
aliud *P*aulus noster *p*raecipit. }

ep. 77,4: { *a*gere se liberius,
*a*dire balneas; }

{ *v*olitare per plateas,
*v*ultus circumferre meretricios. }

ep. 107,5: cave, ne aures eius perfores,

{ ne *c*erussa et *p*urpurisso *c*onsecrata
*C*hristo ora de*p*ingas,
nec *c*ollum auro et margaritis *p*remas, }

{ nec *c*aput gemmis oneres,
nec *c*apillum irrufes . . . . }

ep. 123,5: bonum est . . . esse quod apostolus est,
id est:

{ *s*olutum, non *l*igatum;
{ nec *s*ervum, sed *l*iberum;
cogitantem ea quae dei sunt, }
non ea quae uxoris. }

ep. 133,6: fraudulenter praetendis dei gratiam,
{ ut ad conditionem hominis *re*feras
{ et non in singulis operibus auxilium dei *re*quiras,
ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere et, cum
{ dei contemnas *a*dminiculum,
{ hominum quaeras *a*uxilia.

ep. 64,19: quattuor colores et quattuor elementa referuntur, ex quibus universa subsistunt:
{ byssus terrae deputatur, quia ex terra *gignitur*;
{ purpura mari, quia ex eius cochleolis *tingitur*;
{ hyacinthus *aeri* propter coloris similitudinem;
{ coccus igni et *aetheri*, qui Hebraice 'sani' appellatur.

ep. 118,4:
{ tul*isti* liberos, quos ipse dederas;
{ recep*isti* ancillam, quam mihi ob breve solatium commodaveras.
{ Non contristor, quod recep*isti*:
{ sed ago gratias, quod ded*isti*.

2 + 3:

ep. 58,5:
{ Romani duces imitentur *Camillos Fabricios Regulos Scipiones*;
{ philosophi proponant sibi *P*ythagoram Socratem *P*latonem
{ Aristotelem;
{ poetae aemulentur Homerum *Vergilium*, Menandrum *Terentium*;
{ historici Thucydidem *Sallustium*, Herodotum *Livium*;
{ oratores Lysiam *Gracchos*, Demosthenem *Tullium*.

ep. 50,3: { ut florem aetatis non neglegant,
{ ut comedant et bibant,
et { balneas *a*deant,
{ munditias *a*ppetant,
{ unguenta non spernant.

ep. 60,2: ille ille te vicit,
ille te iugulavit, fugitivus poeta, qui
reliquit *d*omum suam,
*d*imisit hereditatem suam,
*d*edit *d*ilectam animam suam
in manibus quaerentium eum.

ep.48,14: *l*ucerna *l*ampadis *c*ompar*atione* pro nihilo est;
*l*ampas *s*tellae *c*oll*atione* non lucet;
*s*tellam *l*unae *c*onfer, *c*aeca est;
*l*unam *s*oli iunge, non rutilat;
*s*olem *C*hristo *c*onfer, et tenebrae sunt.

ep. 53,8: videlicet manifestissima est genesis, in qua
de natura mundi,
de exordio generis humani,
de *d*ivi*sione* terrae,
de confu*sione* linguarum,
et *d*escen*sione* usque ad Aegyptum
gentis scribitur Hebraeorum.

ep. 60,18: iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus et regnis regna collisa:
alios torqu*eri*, alios necari;
alios *a*bsorb*eri* fluctibus, alios ad servitutem trahi;
hic *n*uptias, ibi planctum;
illos *n*asci, istos *m*ori;
alios *a*ffluere divitiis, alios *m*endicare.

ep. 108,13: namque cernebat variis daemones rugire cruciatibus et ante sepulcra sanctorum
ulul*are* homines more *l*up*orum*,
vocibus latr*are* canum,
fremere *l*eonum,
*s*ibil*are* *s*erpentum,
mugire taur*orum*.

ep. 117,8: ipsum iactant
*a*ssid*ere* *l*ectulo,
obstetrices *a*dhib*ere* *l*anguenti,

portare matulam,
calefacere lintea,
plicare fasciolas.

3 + 2:

ep. 23,2: in*c*ulta *v*estis,
*v*ilis *c*ibus,
neglectum *c*aput: ita tamen, ut
cum *o*mnia *f*aceret,
*o*stentationem *f*ugeret
singulorum, ne reciperet in praesenti saeculo mercedem suam.

ep. 107,4: nutrix ipsa non sit temulenta,
non lasciva,
non *garrula*:
habeat modestiam *gerulam*,
nutricium *g*ravem. Cf. epp. 48,13; 50,4.

3 + 3:

ep. 65,1: tu unum cotidie concipis,
parturis,
generas:
unione fecundum,
*maiestate m*ultiplicem,
trini*tate* concordem.

4 + 2:

ep. 60,10: sub*v*enire pauperibus,
*v*isit*are l*anguentes,
pro*v*oc*are* hospitio,
*l*enire blanditiis;
gaud*ere* cum gaud***entibus***,
fl*ere* cum fl***entibus***.

4 + 4:

ep. 53,7: hanc garrula anus,
hanc delirus *s*enex,
hanc *s*ophista verbosus,
hanc universi

praesumunt,
lacerant,
docent, antequam
discant.

1 + 2 + 1:

ep. 21,2: *p*artus exspectaret *a*dventum?
involv*eretur* *p*annis?
subic*eretur* *p*arentibus?
*p*er singulas *a*doleret *a*etates?

2 + 2 + 2:

ep. 22,24: si libenter audias virgo quod dicitur,
si ad ridicula quaeque solvaris,
quidquid dixeris laudant,
quidquid negaveris negant, ...
ecce vera ancilla Christi dicentes,
ecce tota simplicitas.

ep. 107,13: melius tibi est
desiderare ab*s*entem
quam pavere ad *s*ingula:
quid loquatur,
cum quo loquatur,
cui *a*nnuat,
quem libenter *a*spiciat.

ep. 147,4: angeli *c*lamant,
pastores *c*urrunt,
stella desuper rutilat,
magi adorant,
*H*erodes *t*erretur,
*H*ierosolyma con*t*urbatur.

2 + 3 + 2:

ep. 22,25:
{ oras, loqueris ad sponsum:
{ legis, ille tibi loquitur;
et cum te somnus oppresserit,
{ veniet post parietem
{ et mittet manum suam per foramen
{ et tanget ventrem tuum,
et exspergefacta { consurges
{ et dices . . . .

2 + 3 + 3:

ep. 39,7: itaque { dum spiritus hos artus regit,
{ dum vitae huius fruimur commeatu,
{ spondeo,
{ *p*romitto,
{ *p*olliceor:
{ illam mea lingua resonabit,
{ illi mei dedicabuntur labores,
{ illi meum sudabit ingenium.

2 + 2 + 2 + 2:

ep. 49,2: statim ut aliquid scripsero,
{ aut amatores mei,
{ aut invidi
{ diverso quidem *s*tudio,
{ sed pari certamine / in vulgus nostra disseminant et
{ vel in laude,
{ vel in vituperatione / nimii sunt,
{ non meritum *s*tili,
{ sed *s*uum *s*tomachum / *s*equentes.

(2 + 1 + 2 + 1 + 2) + (1 + 2 + 1):

ep. 10,2: { oculi puro lumine *v*igent,
{ pedes imprimunt certa *v*estigia;

auditus *p*enetrabilis,
dentes *c*andidi,
vox *c*anora [1]),
corpus solidum et succi *p*lenum;
cani cum rubore *dis*crepant,
vires cum aetate *dis*sentiunt [2]).

Non *m*emoriae *t*enacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior *s*enecta *d*issolvit;
non *c*alidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit;
non *c*ontractam rugis faciem arata frons asperat;
non denique *t*remula *m*anus per curvos cerae tramites errantem *s*tilum *d*ucit.

2. De commutatione.

Multo rarius Hieronymus commutatione usus est; tamen satis multa exstant exempla, e quibus haec eligam:

2 a:

ep. 1,10: turb*atur* tali nuntio urbs propinqua,
et tota lictorum caterva glomer*atur*.

ep. 14,2: abeant preces,
blandimenta discedant.

ep. 22,7: rigabam lacrimis,
crine tergebam.

ep. 22,17: crebrius lege,
disce quam plurima.

ep. 43,2: lae*tamur* ad numerum,
obolo contris*tamur*.

ep. 48,21: Christus virgo,
virgo Maria.

ep. 117,9: *in*tret *in*trepidus,
securus exeat.

---

1) al. „sonora", quae lectio quin falsa sit, dubitari non potest.

2) Cf. ep. 13,1: animo *dis*crepante cum verbis,
oratione *dis*sidente cum factis.

3a:

ep. 117,2: mater et filia:
nomina pietatis,
officiorum *v*ocabula,
*v*incula naturae.

ep. 130,4: . . . appetisse eam
ieiuniorum laborem,
asperitatem *v*estium,
*v*ictus continentiam.

4a:

ep. 39,1: quis sine singultibus transeat
orandi instantiam,
nitorem linguae,
memoriae tenacitatem,
acumen ingenii?

ep. 60,1: stupet animus,
manus tremit,
caligant oculi,
lingua balbutit.

ep. 130,3: pius filius,
vir *amabilis*,
*c*lemens dominus,
*c*ivis *affabilis*.

5 a:

ep. 147,6: nonne, quando in spelunca cum virgine stare coepisti,
*c*aligav*erunt* oculi,
lingua *t*orpuit,
*c*oncid*erunt* bracchia,
pectus *int*remuit,
nutavit *in*cessus?

9 a:

ep. 66,13: . . . forticulae
vel lucernas concinnant,

vel succendunt focum,
pavimenta verrunt,
mundant legumina,
olerum fasciculos in ferventem ollam deiciunt,
ap*p*onunt mensas,
*c*alices *p*orrigunt,
effundunt *c*ibos,
huc illucque dis*c*urrunt.

3. De compare et commutatione inter se implicatis.

Permultis locis compar commutationi iungitur; audi:

3 a:

ep. 43,2: ubicumque compendium est,
velocior pes,
citus sermo,
auris attentior.
ep. 54,14: iam in*c*anuit *c*aput,
tremunt genua,
dentes *c*adunt.
ep. 128,5: nesciat *prae*terita,
*f*ugiat *prae*sentia,
*f*utura desideret.
ep. 64,11: dirig*endo* iaculo,
ten*endo* clipeo,
ense vibrando.
ep. 22,33: alii *p*auperibus *d*istribu*endos* esse dicebant,
alii *d*andos ecclesiae,
nonnulli *p*arentibus remitt*endos*.
ep. 66,13: *caec*o*rum* oculus sis,
manus debilium,
pes *c*laud*orum*.
ep. 127,8: semper
*o*bvi*are* epistulis,
*s*uper*are* *o*fficiis,
*s*alutationibus praevenire.

4 a:

ep. 54,4: contris*tabitur* pater, sed lae*tabitur* Christus; *l*ugebit familia, sed angeli gratulabuntur.

ep. 77,4: . . *s*parsum *c*rinem,
ora lurida,
*s*qualidas manus,
*s*ordida *c*olla *s*ubmitteret.

5 a:

ep. 107,10: discat et
lanam *f*acere,
tenere *c*olum,
ponere in gremio *c*alathum,
rotare *f*usum,
stamina pollice ducere.

2 + 2:

ep. 60,10: { caec*orum* baculum,
esuri*entium* *c*ibus,
{ *s*pes miser*orum*,
*s*olamen lug*entium* fuit.

ep. 68,1: cernimus . . . homines
{ *v*olutari in caeno libidinum,
madere sanguine;
{ fer*itate* lupos,
rapac*itate* milvos *v*incere.

2 + 3:

ep. 9,1: non minore te diligit amore quam ego diligo:
{ ut ego semper in ore meo nomen tuum sonem,
ut ad primam quamque confabulationem iucundissimi mihi consortii recorder,
ut { humilitatem admirer,
virtutem efferam,
praedicem caritatem.

ep. 64,22: o quantae virgines et

quantorum sper*ata* pudicitia *in die iudicii* dehonest*abitur*,
quantorum infam*ata* pudicitia *a deo iudice* coron*abitur*;

ipsi igitur assum*amus* feminalia,
ipsi nostra verenda operi*amus* ,
non quaer*amus* alienos *o*culos.

3 + 2:

ep. 22,7: sicubi

concava vallium,
aspera montium,
rupium praerupta cernebam:

ibi meae orationis locus,
ibi illud miserrimae carnis ergastulum.

4 + 3:

ep. 120,12: corpus si singulorum membrorum utatur officiis, verbi gratia:

si *o*peretur manus,
pes *a*mbulet,
*o*culus videat,
*au*diat *au*ris,

dentes *c*ibos molant,
stomachus *c*oquat,
alvus digerat . . . .

5 + 3:

ep. 64,22:

lineis induimur,
ornamur hyacinthinis,
sacro balteo cingimur,
dantur nobis opera,
rationale in pectore ponitur;

accipimus *v*eritatem,
*p*rofert sermo doctrinam,
im*p*erfecta sunt uni*v*ersa . . . .

1 + 2 + 1:

ep. 128,1: interim modo litterarum
elementa *co*gnoscat,
iungat syllabas,
discat nomina,
verba *c*onsociet.

2 + 2 + 2:

ep. 22,34: apud hos affectata sunt omnia:
laxae manicae,
caligae focillantes,
vestis *c*rassior [Mss. grossior],
*c*rebra suspiria,
*v*isitatio *v*irginum,
detractio clericorum.

ep. 52,13: Christi miles . .
nec laude extollitur,
nec vituperatione frangitur;
non divitiis tumet,
non contrahitur paupertate,
et laeta contemnit
et tristia.

Lege ep. 125,12: 2 + 3 + 3.

4 + 3 + 2:

ep. 117,8: dolet
sibi prael*atum* iuvenem,
non quidem com*atum*:
non vestium sericarum,
sed torosulum et in sordibus delic*atum*;
qui ipse *s*acculum *s*ignet,
*t*extrinum *t*eneat,
pensa dis*t*ribuat;
regat familiam,
emat quidquid de publico necessarium est.

1 + 2 + 2 + 1:

ep. 55,3: nolo mihi proferas:
raptoris violentiam,

{ m*atris* *p*ersuasionem,
{ *patris* auctoritatem,

{ propinqu*orum* *c*atervam,
{ serv*orum* insidias atque *c*ontemptum,
damna rei familiaris.

1 + 4 + 2 + 1 + 2:

ep. 108,27: ipsa
*a*ssidere lectulo,
{ *f*labellum tenere,
{ *s*ustentare caput;
{ *p*ulvillum *s*upponere;
{ *f*ricare *p*edes,
{ *m*anu *st*omachum *con*fovere,
{ *m*ollia *st*rata *com*ponere,
mappulam *a*pponere,
{ omnium ancillarum *p*raevenire officia,
{ et quidquid alia fecisset, de sua mercede *p*utare subtractum.

4. De clausula.

Commutationem compari iunctam quamquam Hieronymus in universum ideo adhibuit, ut eloquendi genus variaret mutaretque: tamen non paucis locis ad clausulam efficiendam ea usus est. Sicut ceteri scriptores, etiam noster clausulas — ◡ — — ◡
et — ◡ — — ◡ — maxime dilexit.

Nolo hoc loco uberius de singulis clausularum formis agere, sed de vi clausulae pauca disserere in animo habeo.

Imprimis id monendum est Hieronymum particularum *atque et que* saepissime eam adhibuisse, quae ad clausulam efficiendam magis idonea erat, velut:

ep. 7,2 tot interiacentibus spatiis maris *atque* terrarum.

ep. 22,23 . . . capta *atque* translata sunt.

ep. 71,2 et illos putes parentes fratres affines *atque* cognatos,

qui tibi in Christo copulati sunt.

ep. 118,7 . . . domus dei, in qua cotidie ascenditur *atque* descenditur.

ep. 125,14 ut non levi usitato*que* sermone, et ut ita loquar, summis labiis hospites invitemus, sed toto mentis ardore teneamus quasi auferentes secum de lucro nostro *atque* compendio.

ep. 4,2 ille modo se lavit *et* mundus est,
et tamquam nix dealbatus.

ep. 14,11 exsultabis et ridebis *et* dices.

ep. 21,39 in alio loco confitetur *et* clamitat.

ep. 39,2 imminebit super haec et dura pauperies, frigus languor *et* nuditas.

ep. 18,7 cetera . . . in facie pedibus*que* texerunt.

ep. 20,6 haec iuxta mediocritatem sensus mei breviter strictim*que* dictavi[1]).

ep. 21,5 delicate otiose*que* tractandum.

ep. 22,7 et laetus gaudens*que* cantabam.

ep. 22,31 aliena nobis auri argenti*que* sunt pondera.

ep. 36,3 dominus*que* respondeat.

Huius modi exempla mille exstant.

Aliis locis voces coniunctionibus demptis dissolute ponuntur, velut:

ep. 39,7 hinc in mea mente defixam legent virgines viduae monachi sacerdotes.

ibid.: audiet me semper loquentem cum sorore,
cum matre.

ep. 45,6 statim incidit in latrones, spoliatur vulneratur occiditur.

ep. 50,1 scribis enim eos . . . libros, quos contra Jovinianum scripsi, canino dente rodere lacerare convellere.

ep. 107,9 placeat ei comes non compta *atque* formosa, quae liquido gutture carmen dulce moduletur: sed gravis pallens sordidata subtristis.

Audi etiam huius modi exempla:

---

[1]) Cf. ep. 22,28 breviter strictim*que* describam. Similiter etiam saepius.

ep. 1,12 iam spirat,
iam videt,
iam sublevatur
et loquitur;
iam in illam potest vocem erumpere.

ep. 22,14 eadem domo,
uno cubiculo,
saepe uno tenentur et lectulo.

ep. 22,15 sit tamen et illa secura,
sit gaudens (pro: et gaudeat).

ep. 52,9 sic bestiae,
sic aves,
sic capiuntur et pisces.

ep. 127,7 hoc illa libavit,
hoc didicit
atque possedit. etc.

Imprimis autem vis clausulae inde cognosci potest, quod usitatum ordinem vocum turbat, quam rem pluribus illustrabo exemplis [1]:

1. Enuntiationis pars subiectiva non in fronte, sed ante verbum regens ponitur:

ep. 1,2 si me ad optatos portus aestus impulerit.
ep. 1,7 ut prorsus quasi migrare civitas putaretur.
ep. 1,7 imbellem manum percursor expavit.
ep. 1,9 praedam suam leonum ora timuerunt.
ep. 1,13 recens a clericis caespes ostenditur.

ep. 3,2 . . . manifestus ad credulitatem nuntii auctor impulerat.

ep. 3,2 non sic tempestate iactatus portum nauta prospectat;
non sic sitientia imbres arva desiderant;

---

[1]) Cf. Jul. Wolff „De clausulis Ciceronianis" diss. Vrat., Jahrb. f. klass. Phil. Supplbd. 1901. — H. Jordan „Rhythmische Prosa in der altchristl. lat. Litteratur" Leipzig 1905.

nec sic curvo assidens litori anxia filium mater exspectat.

ep. 3,3 Syria mihi velut fidissimus naufrago portus occurrit.

ep. 3,3 Innocentium . . . repentinus febrium ardor abstraxit.

ep. 7,6 . . . Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.

ep. 10,2 memoriae tenacitatem . . . antiquior senecta dissolvit.

ep. 15,3 nunc igitur, pro dolor, . . . novellum a me homine Romano nomen exigitur.

2. Pars subiectiva post verbum posita est:

ep. 1,5 ad unum hominem tuum quam plura sunt inventa supplicia.

ep. 1,5 nec papillis dantur indutiae.

ep. 1,8 quae est ista securitas?

ep. 1,11 . . ., ne pro ea periret innoxius.

ep. 1,14 post tanta miracula adhuc saeviunt leges.

ep. 2,1 nunc vestrum est, ut voluntatem sequatur effectus.

ep. 3,2 prima inopinati gaudii ab Heliodoro fratre mihi est nuntiata felicitas.

ep. 9,1 cum saturitate succedit oblivio.

ep. 11,1 nunc igitur ingenio est victa pauperies.

ep. 14,8 cum . . . laudaverit dominus.

ep. 14,10 squalidi capitis horret inculta caesaries.

ep. 15,2 quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas.

3. Res obiecta post verbum posita est (quod etiam alibi accidit, sed non tam saepe):

ep. 1,3 dum in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum.

ep. 1,10 si vultis servare damnatam.

ep. 3,5 quas parare arbitraris insidias?

ep. 3,5 minabitur mortem.

ep. 14,1 quem praesentem retinere non valuit, nunc quaerit absentem.

ep. 18,7 ut . . . pro nostra salute sumsperit carnem.

4. Vocabulum e praepositione pendens post verbum ponitur:

ep. 1,7 . . . ignarusque rei ensem librabat in vulnus.

ep. 1,9 hymnos edidere pro fletibus.

ep. 1,12 subito . . . corpus animatur ad vitam.

ep. 3,4 sed sic melius obviam Christo rapietur in nubibus.

ep. 11,1 ob unius morbidae pecudis salutem angeli laetantur in caelo.

ep. 13,1 animo discrepante cum verbis,
oratione dissidente cum factis.

ep. 14,8 sed de hoc gradu pulsus provocabis ad clericos.

ep. 18,1 non suspiravit ad dominum.

5. Verbum infinitum post verbum regens ponitur

ep. 1,5 vetuit circa se saevire tormenta.

ep. 1,8 gladius . . . velut dominum suum victus aspiciens confessus est se ferire non posse.

ep. 3,2 pia festinatione gradienti valuisset obsistere.

ep. 3,5 ut ego primus coeperim velle te colere.

ep. 4,1 mutorum etiam potest ora laxare.

ep. 14,2 adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere.

ep. 14,7 ubi minus est, perfectum non potest dici.

ep. 15,1 me a pretiosae margaritae potuit inquisitione prohibere.

ep. 18,4 cum . . . non deum patrem, sed Christum scribat esse conspectum.

6. Vocabulum a suo adiectivo vel casu genetivo verbo dirimitur:

ep. 1,2 gubernator putabor infirmior.

ep. 1,7 super trementem cervicem micans elevatus est gladius.

ep. 1,9 . . . innoxium lusit incendium.

ep. 2,1 quia hoc mea fecere delicta.

ep. 3,2 meam labasse sententiam.

ep. 3,3 postquam . . . haerentem impia distraxit avulsio.

ep. 1,10 quo fletu vulgi concussus est animus.

ep. 15,1 apud vos solos incorrupta patrum servatur hereditas.

ep. 1,8 impendentem non timet mortem.

ep. 3,3 necdum obductam rescidit cicatricem.

ep. 7,2 magis volo vos incusare tarditatis quam me condemnare non meritum.

ep. 15,1 virgam ferream et aeternum opperiuntur incendium.

ep. 10,1 maledicti hominis distulerat elogium.

ep. 10,3 libentius sancti martyris Cypriani bibamus antidotum.

ep. 1,7 languidus . . . mucro . . . circa cervicem torpet innoxium.

ep. 2,1 in medio constitutus elemento.

ep. 3,1 illud os . . . impressis figerem labiis.

ep. 14,10 ad purum aetheris evolare fulgorem.

ep. 18,20 eorum obsequitur voluntati.

7. Verbum dirimit voces particula 'et' vel simili modo inter se coniunctas:

ep. 13,1 aut praemium recuperabit aut poenam.

ep. 16,2 nunc aut duo mentiuntur aut omnes.

ep. 18,16 auribus tantum studeamus et lingua.

ep. 32,2 quod in una atque eadem Christiana simul diligatur et mater.

ep. 38,1 ut patrem pascat et fratres.

ep. 18,4 nec aliud filium iussisse quam spiritum.

His exemplis e milibus electis vim clausulae satis demonstratam esse censeo. Alias mutationum causas non persequar; tamen paucos proferam locos, quibus Hieronymus

ordinem verborum ideo mutavit, ne vox in litteram 'm' cadens et vocalis prima vocis insequentis inter se concurrerent:

ep. 1,7 totus ad spectacul*um* populus *e*ffunditur.

ep. 1,10 tandem ergo ad feminam vindicand*am* populus *a*rmatur.

ep. 1,12 corpus *a*nimatur ad vit*am*.

ep. 1,14 veste mutata in cicatric*em* vulnus *o*bducitur.

ep. 6,1 cum mecum erem*um* vellet *i*ncolere.

ep. 14,8 *i*ngreditur ad cen*am*.

C. Quomodo Hieronymus his exornationibus in diversis scribendi generibus usus sit.

Ea quae Norden „Kunstprosa“ p. 947 de clausula observavit: Hieronymum ea in sermone elatiore usum esse, in sermone humili eam neglexisse, de omnibus exornationum generibus dici possunt. Non enim Hieronymus omnes epistulas pariter exornavit, sed in diversis epistulis diversum elocutionis genus secutus est. Incultam orationem imprimis tum adhibet, cum de scripturis sacris disputat; tamen nonnullos locos, potissimum prima epistulae verba, variare et distinguere adamavit. Multo pluribus dicendi luminibus illae splendent epistulae, quibus alios aut adoritur aut adhortatur vivendique praecepta dat; atque etiam magis epitaphia excellunt.

Quam diversam rationem sermonis exornandi non solum in epistulis, sed etiam in ceteris operibus observamus; qua de re pauca addere mihi non inutile videtur. Ne longior sim, eligam:

1. *a.* comm. in Osee (Migne tom. 25 p. 815—946),
   b. comm. in Joelem (tom. 25 p. 947—988);
2. *a.* vitam Pauli (tom. 23 p. 17—28),
   b. vitam Hilarionis (tom. 23 p. 29—53),
   c. vitam Malchi (tom. 23 p. 53—66.)
3. libros adv. Jovin. (tom. 23 p. 211—338).

Neque de his uberius agere mihi in animo est, sed tantum similitudinum et compositionis verborum rationem habebo.

1. De commentariis.

In commentariis, quamvis longissimae sint, pauca memoratu digna inveniuntur,

velut in praef. libri II (p. 859): „qui saepe navigat, aliquando patitur tempestatem; qui viam frequenter ingreditur, aut sustinet latronum impetus aut certe metuit, omnique in arte tam gloria quam obtrectatio secundis adversisque ventis oritur, dum aut amici plus merito laudant aut inimici plus iusto detrahunt; rarumque invenias, qui in utramque partem non favore aut odio, sed rerum aequitate ducatur: quod mihi in scripturarum explanatione sudanti accidere video. Alii enim . . . ., alii . . . .“

Adde praefationem libri III (p. 905): „tertium in Osee prophetam dictamus librum et ad vaccas Bethaven usque pervenimus, nobisque interpretationis vela pandentibus tu debes propheticum illud dicere: ‘a quattuor ventis caeli veni, spiritus’, ut celeri cursu varios insidiantium scopulos transeuntes merces dominicas ex omni parte saeviente naufragio ad portus tutissimos perferamus“. Cf. l. III c. 10 (p. 913).

Has ascribo comprehensiones:

6 a: l. I c. 4 (p. 853): quando videris peccatorem
divitiis affluere,
iactare se potentia,
sanitate gaudere,
delectari *c*oniuge,
*c*orona *c*ircumdari liberorum,
et impleri illud, quod . . . .;

2 + 2:

l. III c. 11 (p. 915): desinant
{ rugare frontem,
{ adducere supercilium;

{ *crispare* nares,
{ digitis con*crepare*.

Ex comm. in Joel. hic addendus est locus (c. 2; p. 967):

3a: nunc ieiunantes postea *s*atur*emini*,
nunc fl*entes* postea rideatis,
nunc plang*entes* postea con*sol**emini*.

2. De vitis.

Multo plura in vitis eremitarum invenimus. Similitudine quidem paulo insigniore noster tantum in vita Malchi usus est (c. 1): „qui navali proelio dimicaturi sunt, ante in portu et in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus et uncos praeparant dispositumque per tabulata militem pendente gradu et labente vestigio stare firmiter assuescunt, ut quod in simulacro pugnae didicerint, in vero certamine non pertimescant: ita et ego, qui diu tacui . . ., prius exerceri cupio in parvo opere et veluti quandam robiginem linguae abstergere, ut venire possim ad latiorem historiam;“

addatur c. 3: „video . . . te filii Satanae cauterio notatum . . .: ovis, quae de ovilibus egreditur, lupi statim morsibus patet.“

Tamen multo saepius periodos invenimus:

α) In vita Malchi:

2a: c. 3: quantis p*ater* *m*inis,
quantis *mater* blanditiis persecuti sint.

c. 9: illudque nobiscum reputantes,
si iuvat dominus miseros, habemus *s*alutem;
si despicit peccatores, habemus *s*epulcrum.

2 + 2:

c. 6:
{ nunquam tamen illius nudum *c*orpus in*t*uitus sum,
{ nunquam eius *c*arnem at*t*igi;
{ timens in *p*ace *p*erdere,
{ quod in *p*roelio servaveram.

2 + 3:

c. 4: { non enim ad *p*ugnandum,
sed ad *p*raedam venerant:

{ rapimur,
*d*ispergimur,
in *d*iversa trahimur.

β) In vita Pauli:

2a: c. 1: quorum
et Elias plus nobis videtur fu*isse* quam monachus,
et Joannes ante prophetare coep*isse* quam natus sit.

3a: c. 13: vidi Eliam,
vidi Joannem in deserto
et *v*ere *v*idi *P*aulum in *p*aradiso.

c. 15: vidit (sc. Paulum mortuum)
genubus *c*omplicatis,
*e*recta *c*ervice
*e*xtensisque in altum manibus.

c. 17: libet in fine opusculi eos interrogare,
qui sua *p*atrimonia *i*gnorant,
qui domos marmoribus vestiunt,
qui uno filo villarum *i*nsuunt *p*raedia:
huic seni nudo quid unquam defuit?

γ) In vita Hilarionis:

3a: c. 23: *s*anguinei erant *o*culi,
*s*pumabat *o*s,
volubilis lingua turgebat.

3 + 3:

c. 17: hic affectus pessimo daemone,
{ non *c*atenas,
non *c*ompedes,
non *c*laustra ostiorum integra patiebatur:

{ mult*orum* nasum et aures morsibus amputaverat,
h*orum* pedes,
ill*orum* crura fregerat.

4 + 3 + 2:

c. 31: hic, aiebant, psallere,
hic *o*rare,
hic *o*perari,
hic fessus residere solitus erat;
has vites,
has *a*rbusculas ipse *p*lantavit,
illam *a*reolam manibus suis ipse com*p*osuit;
hanc piscinam ad irrigandum hortulum
multo sudore fabricatus est,
istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit.

1 + 2 + 1 + 2 + 1:

c. 6: quadam nocte
infantum coepit audire *v*agitus,
balatus pecorum,
*m*ugitus boum,
planctum quasi muliercularum,
leonum rugitus,
*m*urmur exercitus
et rursus variarum portenta *v*ocum.

3. De libris adversus Jovinianum.

Etiam paulo maiore arte libri duo, quos adversus Jovinianum scripsit, compositi sunt; qua de causa ne nimius sim, insigniora eligam.

α) De similitudine.

Ut dicat se velle sententias Joviniani proferre priusquam eas impugnet, hanc parabolam adhibet (l. I c. 3): „cum enim adhuc vix de portu egrediar et rudentibus vela sustollam, in medium me quaestionum pelagus subitus loquendi aestus abripuit[1]). Unde cohibebo cursum et paulisper

[1]) Quibuscum ea conferas, quae in epilogo dicit (l. II c. 35): „verum iam coepimus terram prospectare de pelago, et post montes gurgitum et spumosos fluctus et navem vel in sublime subrectam vel in ima praecipitem paulatim fessis et languentibus portus aperitur." Cf. l. I c. 36.

sinus contraham, nec indulgebo mucroni iam nunc pro virginitate ferire cupienti. Ballista quanto plus retrahitur, tanto fortius mittit. Non est damnum dilatio, ubi certior fit ex dilatione victoria. Proponam breviter adversarii sententias et de tenebrosis libris eius quasi de foveis serpentes protraham . . .“.

Sententiis Joviniani allatis hoc modo se excusat (l. I c. 6): „Nimius fortasse fuerim in expositione propositionum eius et legenti fastidium fecerim; sed utile ratus sum cuncta molimina eius quasi instructam aciem contra me ponere et totum hostilem exercitum cum suis turmis ac ducibus congregare, ne post primam victoriam alia mihi deinceps proelia nascerentur.“ Alia similitudine e re militari sumpta in l. I c. 35 utitur: „quomodo in legionibus et exercitu sunt duces, sunt tribuni, sunt centuriones, sunt ferentarii ac levis armaturae et miles gregarius et manipuli, commissaque pugna vacant nomina dignitatum et sola fortitudo quaeritur: ita in hoc campo et proelio, quo contra daemones dimicamus, non quaeruntur nomina, sed opera; et gloriosior ille sub vero imperatore Christo, non qui nobilior, sed qui fortior est.“

Audi comparationes quinque sensuum:

l. II c. 8: „per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante metropolis et arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima praegravatur et capitur aspectu auditu odoratu sapore tactu;“

l. II c. 10: „sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes, anima vero in aurigae modum retinet frena currentium. Et quomodo equi absque rectore praecipites ruunt: ita corpus sine ratione et imperio animae in suum fertur interitum [1]);“

ibid: „alia quoque comparatio animae et corporis a philosophis ponitur: corpus puerum, animam paedagogum esse dicentibus [2]).“

[1]) Cf. Plat. Phaedr. 246 sqq.

[2]) Cf. eos locos, quos Wendland „quaestiones Musonianae“ Berol. 1886 (p. 3 adn.) attulit.

Denique hoc audi simile: „ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quae nuptiis nascitur, praeferamus: . . . ut poma ex arbore, frumentum e stipula, ita virginitas e nuptiis . . .“ (l. I c. 3).

β) De compositione verborum.

3a: l. I c. 26: primus habet faciem hominis propter genealogiam;
secundus faciem vituli propter sacerdotium;
tertius faciem leonis propter vocem
clamantis in deserto.

l. II c. 30: si *o*culos eruas,
trunces nares,
*o*s disseces.

4a: l. II c. 6: ne duas tunicas habeant,
ne *c*ibos in *p*era,
aes in zona,
virgam in manu,
*c*alceamentum in *p*edibus.

5a: l. I c. 15: *c*ircumcidit *T*imotheum,
rasit ipse *c*alvitium,
*n*udipedalia exercuit,
*c*omam *n*utrivit
et *t*otondit in *c*enchris.

l. II c. 6: bos ad ar*andum*,
equus ad *s*edendum,
*c*anes ad *s*erv*andum*,
*c*aprae ad *l*ac,
oves ad *l*anitia conditae sunt.

4 + 2:

l. I c. 38: { quaecumque ergo sunt vera,
quaecumque *p*udica,
quaecumque iusta,
quaecumque ad castitatem *p*ertinentia:
{ his copulemur,
haec sequamur.

4 + 3:

l. I c. 49: pauperem commendat,
*d*ivitem *ex*tollit,
*d*eformem redimit,
*ex*ornat pulchram:

bene meretur de maioribus, quorum *s*anguinem furtiva *s*obole non *v*itiat;
bene de liberis, quibus nec de m*atre* erubescendum, nec de p*atre* dubitandum est;
bene imprimis de se, quam a *c*ontumelia externi *c*orporis *v*indicat.

2 + 2 + 2:

l. II c. 9: ubi *a*ger irriguus
et *a*rborum comae
et *s*usurrus avium,
fontis *s*peculum,
rivus *i*mmurmurans
et multae oculorum auriumque *i*llecebrae.

2 + 4 + 3 + 2:

l. I c. 40: nam cum monachum esse se iactitet
et post sordidam tunicam et *n*udos *p*edes
et *c*ibarium *p*anem et aquae *p*otum
ad *c*andidas vestes et *n*itidam *c*utem,
ad mulsum et elaboratas *c*arnes,
ad iura Apitii et *P*axami,
ad balneas quoque ac fricticulas et *p*opinas
se conferat, manifestum est, quod
terram *c*aelo,
*v*itia *v*irtutibus,
*v*entrem praeferat *C*hristo
et *p*urpuram *c*oloris eius
*p*utet regna *c*aelorum.

Quibus exemplis satis demonstratum esse censeo Hieronymum diversa scribendi genera non pariter luminibus distinxisse; quam rem copiosius tractare et universum Hieronymi genus dicendi in singulis scribendi generibus persequi ut mihi aliquando contingat, valde appeto.

Sentententiae controversae.

1) Sophocles artem rhetoricam satis adamavit.

2) Hor. carm. I 31,9 'Calena', non 'Calenam' veram lectionem esse censeo.

3) Stat. silv. V 3,132 Bentlei coniectura 'victas' pro 'victos' recipienda est.

4) Apud Hieronymum vestigia διατριβῆς inveniuntur.

5) Forma dialogi 'Timaei' Platonis a Chalcidio interprete haud raro mutata est; qua de causa Wrobel (in ed. p. 20 D) non recte fecit, quod 'Videtur sane' interposuit, ut Graeca verba δοκεῖ μήν redderet.

Vita.

Natus sum Guilelmus Victor Franciscus Harendza a. d. XII. Kal. Martias anni 1883 in Silesiae viculo, qui Blechhammer vocatur, patre Paulo matre Valesca e gente Gorelliana, quos ambos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis a patre carissimo imbutus ab undecimo aetatis anno usque ad septimum decimum progymnasium Coslense frequentavi. Deinde Nissam me contuli, ubi vere anni h. s. II. maturitatis testimonio instructus nostram almam matrem Vratislaviensem adii, et civis academiae factus philologiae me dedi.

Docuerunt me vv. dd.: Norden, Foerster, Skutsch, Hoffmann, Zacher, Wuensch, Jakoby; Cichorius Kaufmann, Caro †, Kampers; Baumgartner, Ebbinghaus; Koch.

Ad exercitationes seminarii philologici aditum mihi benigne praebuerunt: Foerster, Norden, Skutsch; archaeologici: Foerster; historici: Caro †, Cichorius, Kaufmann; philosophici: Baumgartner.

Quibus omnibus iustas ac debitas et nunc ago gratias et semper habebo; maximas vero Nordeno, qui me non solum ut huic commentationi operam darem incitavit: verum etiam semper vestigia mea in campo studiorum summa benignitate rexit.